PRVDENTIVM AMICORVM PRINCEPS

Epistolæ Apologeticæ cuiusdam asserti amici, aduersus Anonymum calamo vrgentem apud Sedem Apostolicam pro Legato, nec non pro præsentationibus Ducis Brigantiæ ad Ecclesias Portugaliæ admittendis, Apologetice etiam respondet.



CVM tuam aduersus Anonymum Apologeticam Epistolam perattentè legerem, immò & lectitarem, statim menti meæ se obtulit illa sapientissimi Salomonis sententia 1

Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, nè efficiaris ei similis. Prouerb. 26. 4.

Vnde indignam sanè responsione dictam Epistolam iudicaui. Quid enim tot stultitijs, tot mendacijs, tot petulantijs, tot audacijs, immò & tot ignorantijs respondere poteram, non videbam igitur, nè tibi similis efficerer, nullo modo tibi rescribere decreueram. Attamen videns, quòd idem sapientissimus Rex, ob aliam causam, primam sententiam, aut explicans aut corrigens, expressè præcipiat, vt stulto respondeatur, inquiens

Responde stulto iuxta stultitiam suam, nè sibi Sapiens videatur. Ibidem 5. & alibi. Responde criminatori, ne silendo, crimen agnoscere videaris.

Quanuis non sim sapiens, nec pro tali baberi exoptem, sententiam mutare decreui; vt saltem tuam stultitiam, mendacia, petulantiam, audaciam, & ignorantiam Vniuerso Orbi patefacerem: eo maximè; nè crimina Lusitanis Regi, & Regno ate impudentèr obiecta, silendo, videar, agnoscere.

Ad responsionem igitur tuæ præfatæ Epistolæ iam deueniens, antequam de in illa contentis, quid sentiam tibi amicabiliter aperiam; miror sanè te hominẽ classicum in titulo Anonymum dicas, quem in corpore Epistolæ Oratorem Ducis Brigantiæ sæpè sæpius fatearis. Licet enim Oratoris nomen appellatiuum potius, quam proprium dici debeat, per additionem tamen illius, cuius Orator est, iam proprium reputatur, præsertim, cum in tota Romana Curia liquido cõstet ipsũ D. Franciscum de Souza Cotignum personaliter appellari. Quid ergo de hac tua Epistola dicere possunt, qui perlegerint, nisi quod, qui mentiendo incepit, mendaciter finire necesse sit. 2

Non minori ratione te non classicum reputabunt, qui aduerterint titulum dispositioni non respondere, in illo nanque prius de Legato, postea vero de præsentationibus non admittendis tractandum proponis, in corpore tamen Epistolæ ab istis disputationem exordiris, & illo eam concludis. Quo quidem non solum ordinem inuertisti, sed multa indigesta congeris, quæ superflua, & superuacua essent, si propositum seruares ordinem: nam si Brigantinum Ducem Lusitaniæ Regem nõ agnoscis, quid in præsentationibus, nominationibus, & supplicationibus illius non admittendis tempus & chartam consumpsisti? Prefatum enim Ducem, vt talem, præsentare, nominare, & supplicare minime posse, luce meridiana clarius est. Debebas ergo illum non esse Regem demonstrare: & hoc ad tuum intentum satis superque sufficeret. At, Bone Deùs, nec tu, nec collegæ tui vsque modo potuistis, nec in futurum valebitis id demonstrare. Potuit quidem vestrum primus, non tantum audacter, sed impudenter Regem Ioannem scepetri Lusitani prædatorem, raptorem que asserere: potuit secundus Lusitanorum verba Regem sui 3

propugnantium ardenti cauterio inurendi expoterepotuisti & tu de Bellis quæstionibus varias dissertationes in hac tua Epistola non bellè tamen, sed fæde, & impudenter instituere. Sed quid inde? siquidē nec vos, nec aliquis alius, nō dico iam demonstrare, sed nec aliquantula, etiam minima probabilitate Regis Ioannis iura infringere usque modo valuit, cum aduersarij vestri illa, quantum sat est, manifestè ostenderent.

4 Mihi præfata scripsisti, seu potius dedicasti Epistolam, tanquam Prudentium Principi, Imprudenter sanè, ne ignoranter dicam fecisti: quippequi scire debueras neminem Principis munere fungi posse, nisi iuxta Propheticū dogma sit medicus. *Non sum medicus, nolite me constituere Principem Isai* 3. Si autem Principem me vocas, cur censurarum incursus, periuria, pœnas, ac vt vno dicam verbo, omnimodam Lusitaniæ ruinam tam acriter, tamque imprudenter, seu potius impudenter mihi consulis? Medici enim munus, & consequenter Principis iuxta Domini præceptum, est infirmum consolidare, ægrotum sanare, confractum alligare, abiectum reducere, & perditum quærere. Tu vero è contrario infirmare, ægrotum reddere, confringere, abiicere, & omninò perdere Principi persuadere niteris. Siquando hæc scripsisti Regnum sanctificatum, fide purum, & pietate dilectum semper futuram esse Lusitaniam, vt Christus Dominus cruci affixus primo Alphonso promisit, non meministi: nec etiam, quod idem Dominus messem multam per Lusitanos in longinquis terris sibi parauerit, eosque in messores elegerit, siquidē in tribus Orbis plagis, vt ex euentu cōpertū est, plures Prouincias, & Regna Catholicæ Ecclesiæ Romanæ subdiderunt, quam illa, quæ in Europa eam recognoscunt: meminisse saltem debueras tot beneficiorum in tuum Ordinem ab illo Rege collatorum: pro quibus omnibus eum, non semel excommunicatum, & periurum in publicum profers: Quid ingratius? quid insanius? quid ve impudentius? Non miror sanè te, nimium enim audax mihi videris execror tamen, ac detestor Prælatorum tuorum vel præceptum, vel saltem permissionem, debebant enim pro sui Ordinis communi bono tuam nimiam audaciam acriter reprimere. Sed missis his ad tuæ Epistolæ præfationem deueniendo, si luctuosissimam Lusitanæ Ecclesiæ faciem, quam me enarrante conspexeras, tecum versabas, cur quæso, tot malorum inundationi remedium non adhibuisti; & cum non posses, (quod certissimum est) cur Deum Optimum Maximum pro illo adhibendo assiduis, humilibus que precibus (vt virum decebat religiosum) non instanter exorasti? Sed gladio impotens calamo saltem percussisti, quinimmo superdolorem vulnerum eius addidisti.

5 Prosequiris, quod tot iura animo voluebas, quæ pro Duce Brigantiæ è triuio imperito circumferuntur, atque ex colluuie populorum corriuante auribus exceperas. Vtrunque mendaciter, vel saltem ignoranter seu potius ignoranter, & mendaciter protera. Mendaciter, quia iura Brigantini Ducis, siue verius iam Lusitani Regis, non è triuio imperito, ac ex populorum colluuie, sed ex doctissimis, ac sapientissimis Magistris, & Doctoribus circumferuntur, vniuerso que Orbi patefacta fuere. Perlege vtrumque Doctissimi Conimbricensis iuris Canonici Primarij professoris emeriti volumen. Vtrumque similiter Antonii de Souza de Macedo Senatoris Vlixbonensis meritissimi. Doctoris Ioannis Baptistæ Morelli discursum politicum. Anti Dianam, seu admonitionem Apologeticam ad P. Antoninum Dianam & omissis aliis, Memoriale Doctoris Pantaleonis Roderici Pacieco Sanctitati Vrbani VIII. præsentatum, in quo, tanquam in epilogo, præfati Regis iura pertractata reperies: quæ omnia lustrare debueras, antequam in eadem immo & in ipsum Regem tam audacter, seu potius petulanter inueheres.

6 Ignoranter, quia nulla maior dari potest ignorantia, quam quæstionem aliquam resoluere, quin rationes pro vtraque parte viderit, ac maiori, qua possit, accuratione discusserit, qui definire, ac sententiare velit. si tu vero, vt asseris, Brigantini Principis iura non nisi è triuio imperito, ac populorum colluuie, didicisti, quid de illis sententiam tuleris? Ignoranter te fecisse nemo erit qui dubitet.

7 [illegible] ad vocem illius Principis, quæ clamitat in plateis, hoc est è triuio imperito, ac colluuie populorum circumfertur, animum tuum ad pietatem inflexū

fatea-

fateatis, quid si illam in excelsis, idest in Principibus, in Regijs Curijs totius Europæ (vna excepta Austriaca *Domo*) in Præsulibus, in celebrioribns Academijs personantem, & clamitantem auscultares? non tantisper sanè, sed plurimum animus tuus hæreret, nec calentior, quam par esset, sed plusquam pro illius iuribus efferbuisset.

Iucundissimum tibi fuisse assueras pro ipso Duce in elegantem orationem incidere, vt veritate suis è fontibus hausta, quid de tot malorum fabro sentires, alijs propinares. Sed, proh dolor, cum ex ea, & alijs fontibus purissimam doctrinæ aquam biberes, seu saltem bibere posses, eam pedibus tuis, hoc est, falsis, & cauillosis tuis interpretationibus turbasti, vt illis, quæ iam a te conculcata, & conturbata fuerant, alij pascerentur: quod crimen Deus olim pastoribus Israel acriter improperauit. 8 *Ezech.* 34.

9 Palladem deinde armatam, aut Equum Troianum pro illo Duce stare sperabas: cumque armata Pallas scientijs, vt notum est omnibus, vel vt deducitur ex latino Poeta, bello saltem occulto, & doloso præsit, iuxta illud. Æneid. 2. Instar montis Equum diuina Palladis arte &c. In quocunque sensu eam sumpseris, ignoranter applicas schema: In primo, quia de viro Equite, seu Militari momentosa Sacrorum Canonum, Conciliorum, Sum. Pontificum, ac vetustatis monimenta, quibus sui Regis iura extolleret, Catholici verò deijceret, sperabas. In secundo, quia in Vrbe ante conspectum Sanctissimi Vniuersalis Ecclesiæ Pastoris armatam Palladem pro illo Duce expectasti. Hoc equidem tuo bello iudicio de Lusitano Rege procul dubio sperabas: Sed, vt fateris, spes te fefellit, immò & tu falleris. Si tamen vbi armata Pallas, seu potius Palladis arma, vel Bellonæ pro nostro Principe decertent, scire cupis, interroga tuos, & annunciabunt tibi.

Non minus ignoranter secundum applicasti schema: Equus enim Troianus prouerbialiter de illis dicitur, qui cauillationibus, dolis, & conspirationibus in alicuius perniciem occultè tendunt. Sic Cicero pro Mur. *intus, intus, inquam, est Equus Troianus, à quo nunquam, me Consule, dormientes opprimemini*. Sic ille alius Æneidos 2. *Equo ne credite Teucri*. Sic tandem Calepinus verbo (*Equus*) quomodo ergo Lusitanus Princeps candidus, ac sincerus Troianum Equum deceptionibus, fraudibus, & dolis repletum in suum fauorem mittere poterat? Non dum Lusitanis hæc negotiandi via innotuit. 10

Præfatam Orationem (vt prosequeris) momentosis Sacrorum Canonum, Conciliorum, Sum. Pontificum, ac vetustatis monimentis, quibus sui Ducis iura extolleret, Regisque Catholici deprimeret, arietare putabas. Impropria sanè locutio, seu potius metaphoræ applicatio: verbum enim arietare non est impersonale, sed actiuum, vnde si cum accusatiuo rei arietatæ non construitur, nihil certum significat, sed missa improprietate, plurimæ enim in hac tua Epistola reperiuntur. Quomodo illa omnia de viro politico, seu militari sperabas? Nesciebas quod diuerso modo politici, seu militiam profitentes, ac Iurisperiti suorum Principum iura defendunt? Isti sanè textibus, illi verò gladio, & hasta: quod S. memoriæ Pius V. in Bernardino de Mendoca, triremium Hispaniæ Generali, magnopere laudauit: Cum enim cuidam Equiti Germano, qui semper de Religione secum disserere volebat, satisfacere nollet, succensus ira, stricto que ense sic respondit. In Hispania Doctoribus tantum Religionem argumentis propugnare licet, nobis autem militibus gladio & lancea pro ea est pugnandum. Hoc prorsus de præfato Oratore sperare debebas, non verò quod Canones, Concilia, & Sum. Pontificũ vetusta monimenta indigestè, immò & confusè, vt tu, côglobasset: præsertim cũ dictus Orator in principio præfatæ Orationis apertè asserat superuacaneum, ac in vtile esse sui Regis iura, quæ euidentibus probationibus à tot viris doctis demonstrata conuincuntur, fastidiosè repetere. Sed si tantus amor iura cognoscere nostra tibi inest, cur præfatos Doctores, qui ea & ostendunt, & defendunt non legisti? Quare ad Orationem deprecatoriam recurris, dissertationes, & disputationes in iure excitatas non iam sine responsione relinquis, sed nec de illis mentionem aliquam facis, tanquam si eas omninò ignorares? Et tunc (vt fateris) decertare statim sensisti, quasi non ita sentires, si præ- 11 *Fons. maior. in vita Pij.*

fata

fata iura non ignorasses. Ita sanè credo: vidisti enim virum politicum, Canonum, Conciliorum, & Decretalium scientia exarmatum, & tunc cum illo in certamen venire ausus es. Si adeo de tua scientia præsumis, cur Vellascos, Souzas, Morellos, Betancores, Paciecos, cæterosque pro Lusitano Rege scribentes, non solum in certamen, non lacessisti, sed eos non vidisse etiam simulas?

12 Ah, Deus Bonè! illa omnia pauca, non plura, vt tu mendaciter asseueras, quæ in suam sententiam veterum testimonia, non tanquam iura, sed ex conuenientia proposuit Sanctissimo præfatus Orator, infirma, nutantia, extra lineam, & infida fide, non procaciter tantum, sed petulanter quoque pronuncias. Ita te docuit Philosophus rationes, & exempla aduersariorum refutare? Si talia illa iudicasti, quid in quo claudicarent non ostendisti? Sunt nè extra lineam & infida fide exẽpla Alexandri III. cum Alphonso I. Lusitaniæ Rege: Bonifacij VIII. cum Carolo Vngariæ Rege, & Roberto: Gregorij X. cum Ridolpho, & Alphonso Castellæ Rege: Pij II. cum Alphonso Aragonensi & Renato super Regno Neapolitano; Eiusdem Pij cum Mathia & Friderico III. Imperatore: Pauli III. cum Carolo V. & Frãcisco Galliæ Rege super Ducatu Mediolanensi: Gregorij XIII. cum Henrico III. & Stephano Battoro: Eiusdem Gregorij cum Philippo II. & cæteris prætendentibus super eodem Lusitano Regno? Si hæc omnia infida fide, & extra lineam tibi visa fuere, quanto potiùs, ac veriùs tibi demonstrabo omnia tua, quæ in hac Epistola cateruatim, & absque vllo ordine conglobasti exempla, adeò infida fide, & extra lineam omninò esse, vt responsione aliqua a viris doctis indigna censeantur. Sed nè vanè, ac superbè existimes nos illa omnia ad lydium pro veritate vocare fugiamus, patienter confutationem audi, vt in posterum addiscas.

13 Inuertisti (vt iam tibi dixi) dispositionem, quam in titulo tuæ præfatæ Epistolæ proposueras seruandam, forsan data opera, quia præcipuum pro nostro Rege fundamentum inexpugnabile reputasti. Si ita est, cordatè sanè fecisti, attamen inaniter, atque sine fructu te ipsum erga plurima defatigasti, quando vnum tantum necessarium erat. Quid enim tot Sacrorum Canonum, Conciliorum, Sum. Pontificum, & vetustatis monimenta in hac tua Epistola confusè, & inordinatè inuoluisti, si vno solo fundamento rectè probato omnia nostra iura funditus corruerent? Supponis Regem Ioannem, seu, tecum loquendo, Ducem Brigantinum in accipiendo, & acceptando Regno Lusitano rebellem Philippo, vsurpatorem Regni, tyranum que extitisse: Si hoc probasses litem euinceres, quin de iure patronatus Regum Lusitaniæ, de præsentatione, nominatione, aut supplicatione ad Ecclesias Cathedrales tam ineptas quæstiones institueres. Sed, vt iam supra dixi, nè me tuarum allegationum vim effugere velle arroganter præsumas, tuam ipsam inordinatam sequens dispositionem, ad pedem litteræ sic respondeo.

Tuum primum dubium quærit

An ius eligiendi Episcopos Portugalliæ sit hodiè penes Sedem Apostolicam tantum priuatiuè quo ad omnes præsentationes.

AFfirmatiuam partem huius tui primi dubij vnico fundamento stabilire niteris; Scilicet, quòd cum supra quindecim annos inter Reges Catholicum, & Lusitanum circa præsentationes Episcoporum lis desæuiat, omne ius eligendi, nullis præuijs præsentationibus, seu nominationibus ad Sedem Apostolicam deuolutum censetur. Antecedens vtroque claudicat pede: dextro, quia, absolutè loquendo, nullam inter præfatos Reges litem interesse certissimum est. Ad hoc enim, vt lis inter partes interesse dicatur, necesse est, vt per petitionem in iure propositam, & responsionem secutam litis contestatio fiat cap. 1. de lit. contest. Cum ergò Rex Catholicus apud legitimum Iudicem nullam petitionem in iure proposuisset contra Lusitanum, clarè euincitur inter eosdem, absolutè loquendo, nullam intercedere litem: benequidem dici potest, quod Catholicus de Lusitano conqueratur, eo quod ipsum dicto Regno spoliasset, non tamen quod inter ipsos lis aliqua sit contestata. Sinistro, quia dato, & non concesso, quod præfata lis inter eosdem controuerteretur, non tamen super Ecclesiarum præsentationibus, vt tu falsò supponis, sed super ipso Regno, à quo Catholicus fuit depositus. Diuersa autem res est litigare super castro, seu fundo (in nostro casu super Lusitano Re-

gno) cui annexum est ius patronatus, & consequenter potestas præsentandi, seu
nominandi, tanquam fructus ipsius Castri, seu fundi, & super ipso fructu, idest,
super iure patronatus, seu potestate præsentandi. L. penult. ff. acquir. possess.
glos. magna in fin. in l. 3. §. Excontrario; vbi Bart. ff. eodem tit. Alciat. cons.
294. & alij quos ciatat, & sequitur Cabed. de patr. Reg. cor. cap. 6. Cumque talis
lis, etiam concesso, quod inter præfatos Reges intercederet, non poterat esse super
præsẽtationibus, sed super Regno, cum nemo possit alium in iudicium vocare circa
ius præsẽrandi, quod est annexum alicui Castro, nisi prius litiget super tali Castro,
nihil ex tua suppositione contra Lusitanũ Regẽ eulnceres. Et ratio est euidẽtissima,
quia sũpta possessione Castri (in nostro casu Lusitani Regni) incõsequẽtiã sumitur
possessio iuris patronarus, seu potestatis ad præsentandum. Ita DD. in cap. ex lit-
teris de iur. patr. & facit l. si adoptauero, & ibidem DD. ff. deprecat. Bald. l. de
his. C. de fart. Aret. in l. 3. in princip. ff. de acquir. possess. Vnde (quod magis
vrget contra te) possessor bonæ fidei alicuius Castri, cuius ratione sibi debetur
iuspatronatus, licet nunquam præsentauerit; poterit quotiescunque voluerit præ-
sentare. Ita Rot. in nouis decis. 141. allegans Innocentium in cap. cum super.
de causa possessionis, & propriet. Et in cap. In litteris de restit. spol. Ratio au-
tem est, quia Castrum videtur semper retinuisse, & possedisse iuspræsentandi; Ex-
quibus funditus tuum vnicum corruit fundamentum, quo inteudebas probare
ius eligendi Lusitaniæ Episcopos ad Sedem Apostolicam ex eo priuatiuè esse de-
uolutum ex eo quod lis inter prætẽdentes infra quatuor menses non esset definita.
Sedenim nè superbè autumes, hac generali doctrina, quæ mendaciter Collegi- 2
sti, ac numerasti totius Orbis suffragia me velle declinare; vniuscuiusque confuta-
tionem singilatim ausculta. Aduerte tamen prius, quòd dolosè, seu potius igno-
ranter iuspatronatus commiscuisti, & confundisti. Primo, quia Ecclesias, & be-
neficia, secundò, quia personas non distinxisti, indifferenter de vtrisque loquens,
cum non parua differentia inter vtrasque intersit. Et quod attinet ad Ecclesias,
seu beneficia in ipsis fundata, præter illa, quæ docent DD. communiter, apud ip-
sos videnda, sufficiat decretum Conc. Trid. sess. 25. cap. 9. vbi abrogantur patro-
natus omnes circa beneficia tam secularia, quam regularia &c. *exceptis tamen pa-
tronatibus* (verba sunt Concilij) *super Cathedralibus Ecclesijs competentibus*. Ex quo
patet differentia inter patronatum, & patronatum, cùm vnus abrogetur, & alter
confirmetur. Tu verò vtrunque confundis arguendo a patronatu beneficiorum
ad patronatum Ecclesiarum Cathedralium, volens, vt sicut in illis, quando lis,
seu quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat iuspatronatus, inter quatuor
menses non fuerit definitum, electio ad Episcopum illius Diœcesis, in qua funda-
tum est beneficium, deuoluatur. Sic eodem modo vertente lite super iura patro-
natus alicuius Cathedralis, si inter dictos quatuor menses de vero patrono non
constiterit, Ecclesiæ prouisionem ad Sedem Apostolicam deuolui. Miror sanè te
hominem, vt fertur, seu potius, vt tu præsumis, alias doctum, quomodò cùm ita
arguis, non memineris logici axiomatis: *A minore ad maius non valet consequentia.*
Si forsan (quod non est credibile de viro iam ætate, & studijs prouecto, seu po-
tius senescente) illius non meministi; melius tibi fuerat à similibus quæstionibus
abstineri, & chorum cùm tuis fratribus frequentare; non verò exemptionem ip-
sius à Superioribus obtinere, vt tales imperfectos, immò & ineptos partus abor-
tireris,
In secundo etiam es allucinatus, quia non distinxisti inter patronatum personæ 3
priuatæ, & patronatum Regium, cum ille includatur in decreto quatuor men-
sium, hic autem minimè. Ita iudicatum fuit ab Auditore Apostolico die quarta
Augusti anni 1593. in fauorem cuiusdam Petri Aluari de Freitas præsentati à
Rege in prioratu Ecclesiæ S. Nicolai Vlixbonensis contra Archiepiscopum eius-
dem ciuitatis, vbi notanda sunt dictæ sententiæ formalia verba, videlicet. *Visto
como se mostra os Reis destes Reinos, e sua Coroa Real estarem emposse de seus aprezenta-
dos, serem confirmados, posto que tempo dos quatro mezes, e muito mais seia passado, e ain-
da do dito Senhor Arcebispo, que assi o confessa &c.* Cabed. vbi supra cap. 28.
Deinde est alia differentia inter vtrunque patronatum, quia Regius, seu Duca- 4

lis non comprehenditur in reſeruatione facta etiam a Summo Pontifice cum clauſula *etiam laicorum*, niſi faciat ſpecificam mentionem, quod ſit Regalis, ſei Ducalis; quod tamen non ſolet facere Summus Pontifex in Regijs patronatibus, Ita Felin. in tract. quando litteræ Apoſtolicæ noceant patrono. Col. 6. ampl. 8. & eſt expreſſa Concilij Tridentini citata ſeſſ. 25. cap. 9. ibi. *Et exceptis alijs, quæ ad Imperatorem, & Reges, ſeu Regna poſſidentes, alioſque ſublimes, ac ſupremos Principes, iura Imperij in dominus ſuis habentes, pertinent.*

5 Vnde accedendo iam ad ſuffragia, quæ ineptè, nè dicam ignoranter ex toto Orbe Catholico collegiſti, ac numeraſti. Ad primum ex Conc. Later. ſub Alexandro III. & ad ſecundum ex Sacris Canonibus cap. quoniam. Cap. cum propter. & cap. ſi verò de iure patronatus deſumptum, iam ex vtroque aduertendo ſuprapoſito patet ſolutio, ſeu potius ignorantia tua, ſi quidem præfata Concilium & Canones clarè, diſtinctè, ac euidenter de beneficijs ſæcularibus, regularibus, ſeu parrochialibus, etiam in Cathedralibus, aut Collegiatis Eccleſijs fundatis loquuntur, non verò de Sedibus Epiſcopalibus: & ſimiliter de perſonis priuatis, non verò de Regibus, & Principibus ſupremis, & abſolutis, vt expreſsè diſtinxit citatum Concilium Trid.

6 Tertium ſuffragium, quod ex Concilio Tolet. 12. & ex cap, cum longe diſtinct. 63. deſumpſiſti, non iam ignoranter applicatum, ſed malitioſè, ac mendaciter eſt adductum: aſſeris nanque nè diù viduarentur Eccleſiæ poſthabendum eſſe electorem ordinarium, nempè Concilium Prouinciale, & ius eligendi deuoluendum eſſe Primati, in dictis capite, & Concilio ſtatutum fuiſſe. Vt confundaris, teque pudeat contra expreſſam in ipſis veritatem illa adducere, nihil aliud pro confutatione talis ſuffragij dicendum putaui, niſi ipſamet textus eiuſdem verba, immò gloſſatoris, vtpote clariora, referre: quæ ita ſe habent. *Conſuetudo erat in Hiſpania, quod quoties moriebatur Epiſcopus omnes Epiſcopi Comprouinciales congregabantur, vt Regi de obitu Præſulis ſignificarent. Sed quia quandoque nunciorum impediebatur celeritas ita quod ſine magno incommodo electio Principis non valebat expectari, & ſi recederent oportebat eos iterum conuenire ad conſecrationem electi, & ſic eis difficultas maxima incumbebat, ſimiliter & Regi imminebat difficultas cum alijs negotijs impeditus non poſſet tam cito conſulto Epiſcoporum reſpondere, quod conſultum numeroſa neceſſitas expectabat, ideo placuit omnibus Epiſcopis Hiſpaniæ, vt Archiepiſcopus Toletanus haberet poteſtatem confirmandi, & ordinandi in quibuslibet Prouincijs Epiſcopos, quos Regalis poteſtas eligat, ſaluo priuilegio cuiuslibet Prouinciæ.*

7 Optimum ſuffragium ex præfatis Concilio, & Canone attuliſti, ſed in omnibus, & per omnia contra te. Primo, quia Prouinciales Epiſcopi non congregabantur ad electionem aliquam faciendam, vt tu falsò ſupponis, ſed ad ſignificandum Regi de Præſulis obitu. Secundo, quia cauſa motiua præfatæ ſanctionis non erat diuturna viduatio Eccleſiarum, ſed incommoda Epiſcoporum, ne extra ſuas domos & Diæceſes detinerentur, aut ſi recederent, eodem incommodo ad electi conſecrationem iterum conuenire cogerentur. Tertio, quia etiam Regi difficultas imminebat, alijs enim præpeditus negotijs, non poterat tam citò Epiſcopis reſpódere. Quarto, quia Elector ordinarius non erat Concilium Prouinciale, vt tu falsò aſſeueras, ſed ipſe Rex priuatiuè, quæ quidem eligendi poteſtas non fuit illi per præfata Concilium, & Canonem ablata, ſed potius confirmata, ibi: *Quos Regalis poteſtas eligat*. Quinto tandem, quia illa poteſtas Epiſcoporum Prouincialium, qualiſcunque eſſet, non fuit illis à Concilio ſublata, ſed ipſimet ſponte ſua eam dimiſerunt, & in Archiepiſcopum Toletanum vnanimi conſenſu tranſtulerunt.

8 Quartum ſuffragium ab Ordinationibus, ſeu ſtatutis Portugalliæ, teſte Cabedo Iuris conſulto Luſitano de patron. Reg. cor. petitum, non ſolum eſt contra te, ſed mendacem immò, & petulantem te oſtendit, indignumque, vt tuis allegationibus fides habeatur aliqua: quin immò, vt in omnibus infidus habearis: ſemel enim malus ſemper præſumitur malus in eodem genere mali; & qui in vno deliquit, factus eſt omnium reus. Quanta ratione adeò acriter in te inueho, vt non iam tibi, ſed legentibus euidenter conſtet teſtis a te citati verba (licet malitioſè abſque dubio locum tacuiſti) oportet ad vnguem referre. Et in primis titulus illius

lius capitis, quod est vltimus præfati tractatus, sic habet. *An possit fieri sequestra-
tio fructuum beneficij Regij patronatus pendente lite super spolio?* Iam ex dicto titulo sa-
tis superque patet præfatum Iurisconsultum non agere de prouisione ab Episco-
po facienda se solo, nè Ecclesia diù viduetur, vt tu illi falsò imponis, sed tantum-
modo de fructuum sequestratione. Deinde in præludio quæstionis illam suo tem-
pore in duabus causis contigisse testatur, vna scilicet in Ecclesia S. Mariæ do Paul
Episcopatus Ægitanensis, in quibus inquit (sunt formalia ipsius verba) *Procura-
tor Regiæ Coronæ petijt, vt sequestratio fructuum fieret, tum quia timor erat dilapidatio-
nis fructuum, tum quia præsentati ab Ordinarijs pauperes erant, & non habebant bona,
quibus restitutionem facere possent, sententia contra illos lata, & in his causis pronuncia-
tum fuit, vt sequestratio fructuum fieret*. Postea verò num. 1. 2. & 3. docet, quod re-
gulariter sequestratio permissa non fit à iure, quod limitatur, nisi timor sit dilapi-
dationis, in quo maximè operatur iudicis arbitrium: Additque, quod sic ponde-
rauit Ordinatio Regni lib. 3. non. 7. vt tu citas, cum libri Ordinationum sint so-
li quinque tit. 20. §. penul. ibi. *Se ao Iuiz parecer*. Deinde ponit arestа, siue sen-
tentias pronunciatas annis 1587. & 1590. Quarum prima sic habet. *Mandamque
os fructos, e rendimentos se sequestrem, edepozitem em mao de alguma pessoa abonada, ate
se dar determinacam sobre aposse de que se trata da dita Igreia*. Secunda autem sen-
tentia, quæ fuit de Ecclesia S Michaelis de Agrobon Archiepiscopatus Bracharen-
sis ijsdem omninò verbis pronunciata fuit. Quibus positis, dicas mihi ingenuè,
a quibus nam principijs deduxisti certam, & infallibilem tui intenti Conclusio-
nem, ita vt glorianter, immò & arroganter dicas. *Quid adhuc desideramus testes,
si ipsamet Portugalliæ statuta de consensu suorum Regum adita, & ab ijsdem iurata hoc
absque vlla controuersia Episcopo concedunt?* Et exinde infers, quod hoc ipsum Rex
Lusitaniæ super Cathedralibus Christi Vicario denegat. Quanto potiori iure in
te dicere poteram sequentia Caiphæ verba. *Ecce nunc audimus blasphemiam*. Non
mediocris enim est in homine religioso super negotio tanti ponderis inter tales
Principes, adulterare, falsòque adducere authoritates contra veritatem, & sen-
sum illorum Doctorum, quos citat. 9

Quintum suffragium, quod ex stylo, ac immota consuetudine Sedis Apostoli-
cæ te desumpsisse asseris, Honorij III. exemplo confirmare niteris. Hic enim Ia-
cobo Aragonio Siciliæ Regnum, cum iure hæreditario, tum populi acclamatio-
ne, qui Petrum eius parentem pulsis Gallis vocauerat, sibi comparante; & ex ad-
uerso Carolo Valesio spoliato reclamante nemini ipsorum præfati Regni Eccle-
siarum præsentationes concessit, sed se solo illas prouidit: in omnibus suis clausu- 10
lis mendax, falsum, & omninò fictum est.

Quod, vt euidenter ostendam, ab Historiographis, computationeque tempo-
rum veritas est petenda: Honorius igitur III. suum Pontificatum gessit ab anno
1216. vsque ad diem 18. mensis Martij anni 1227. Do testes Bzouium tom. 13. in
dictis annis: & Ciaconium in eius vita: Petrus autem Pater Iacobi anno 1281.
primum appulit Panormum, & à Siculis Rex est salutatus annis 54. post Honorij
mortem. Quomodo ergo tunc temporis Iacobus, qui adhuc natus non erat (im-
mò nec ipsius pater Petrus) Siciliæ Ecclesias Honorio præsentare poterat; simili-
liter nec Carolus cum esset frater S. Ludouici natu minor; qui anno vltimo Ho- 11
norij III. non dum completis ætatis suæ duodecim annis regnare cæpit, adhuc sub
matris tutela.

Sed iam te video ad Amanuensis mendum, qui pro quarto tertium scripsit con-
fugere. Attamen quamuis præfatum subterfugium impugnare ex consequenti-
bus, & subsequentibus poteram, nihilominus illud tibi liberaliter concedo, quia
aliunde dictum exemplum falsitatis conuictum sic euidenter ostendo. Primo quia
Iacobus non regnauit in Sicilia, nisi post Petrum eius parentem, hic autem e vita
cessit die 4. Octobris anni 1284. Tertio autem Pontificatus Martini IV. Vnde
iam patet controuersiam circa Eccesiarum præsentationes non potuisse esse cum
Carolo Valesio, qui anno antecedente die 7. Ianuarij sub eodem Martino obierat, 12
antequam Honorius IV. ad Pontificatum esset assumptus.

Secundo. Demus etiam, quod præfata controuersia circa Ecclesiarum præsen-
tationes

rationes inter dictum Iacobum, & Carolum Claudum, defuncti Caroli Valesij genitum & hæredem in Regno Siciliæ agitaretur. Quomodo poterant præfati duo Principes dictas Ecclesias præsentare, si Iacobus à Martino, & ab ipso Honorio eius successore, similiter & eius frater Alphonsus Aragoniæ Rex erant anathemate publicè percussi. Audi Bzouium anno 1286. num. 2. *Eodem anno Pontifex Honorius Iacobum, & Alphonsum Petri Aragonum occisi filios in Cana Dominica die, ac festiuitatibus Ascensionis Christi, ac dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum anathemate percussit, quod Iacobus Regnum Siciliæ iuris Ecclesiastici Carolo II. Regi designato occupasset.* Et Alphonsus ipsum Regem Carolum, cum quo poterat Iacobus super Ecclesiarum Regni Siciliæ præsentationibus litigare ab anno tertio Martini IV. Christi verò 1283. Barchinone strictissimis vinculis detinebat, ita vt indubitatam mortem, omni humana spe destitutus prætolaretur: & Honorius anno 1285. quàuis multa egerit, vt Iacobum Petri occisi filium Sicilia eijcere, Regnumque & libertatem Carolo captiuo restituere posset, neque per Legatos, neque per litteras quidquam effecit. Perlege Bzouium prædictis annis 1283. & 1285. Martino, & Honorio Pontificibus. Verum quidem est quod Odoricus Rainaldus tom. 14. anno 1285. num. 62. inter cætera affirmat, quòd Honorius præficiendorum Ecclesijs Cathedralibus in Regno Pastorum authoritatē sibi, Sedique Apostolicæ, flagrante Siculo bello, reseruauit, tum propter easdem causas: tum maximè, quia cum eo tempore electiones Episcoporum non ad præsentationes Principum, sed per capitula Ecclesiarum fieri solerent, nolebat Pontifex quod alieni à Carolo ad similes dignitates irreperent: Episcopus enim Larinensis in Gallicam stirpem seditionem incitauerat.

13 Supposita hac historiæ veritate dicas mihi ingenuè, quomodo stare potest Honorium Siciliæ Ecclesias se solo prouidisse nullis auditis præfatorum Principum præsentationibus, ex eo quod controuersia inter ipsos non esset decisa, vnde licet Honorius præfatas Ecclesias se solo prouiderit, non tamen quia non dum lis inter dictos Principes circa præsentationes, vel etiam circa Regnum non esset finita, sed quia illorum neuter aptus erat tunc temporis ad præsentandum (etiam dato & non concesso quod illius temporis electiones ad præsentationes Principum, & non per electionem Capitulorum, vt statim monstrabo, fieri consueuerint) quia Iacobus publico anathemate ab eodem Honorio, & Martino prædecessore erat percussus: Regnum enim Sedis Apostolicæ, ipsa inuita, immò & contradicente violenter vsurparat, & detinebat Carolus autem vinculis constrictus absque eo quod posset cum aliquo loqui tyrannicè Barchinone ab Alphonso premebatur. Sed adhuc sic exemplum aliunde falsum euidenter ostendo.

14 Quod, vt luce meridiana clarius videatur, supponendum est primo cum Barbosa de offi. Episcop. p. 1. tit. 1. cap. 3. de Episcopi elect. num. 3. & cæteris omnibus Doctoribus, immò ex ipso iure Pontificio: quod post Apostolos iuxta temporum varietatem diuersos modos in electionibus Episcoporum à Summis Pontificibus fuisse præscriptos, & iuxta varias occurrentes circunstantias diuersis etiam personis ius eligendi Episcopos ab eisdem Pontificibus concessum, siue permissum reperiri.

15 Secundo supponitur, omissis alijs modis eligendi Episcopos, qui vsque ad Bonifacij VIII. & Clementis V. tempora durauere in varijs temporum differentijs, præfatum Bonifacium Sedi Apostolicæ electiones Episcopatuum, qui in Curia vacarent in futurum reseruasse: quam reseruationem Benedictus XII. anno 1335. in extrauag. ad regimem. de præbend. inter communes ad vniuersas Ecclesias extendit.

16 Quibus positis iam patet, quod tempore Honorij IV. Principes, seu Reges ad Episcopatus non præsentabant, nec nominabant, immò nec supplicabant, Cum tunc temporis electiones Cathedralium ab ipsis Capitulis fieri solebant & à Pontifice confirmabantur: vnde cum Honorius se solo præfatas Ecclesias prouidit, hoc absque dubio fecit, quia Capitula, & Canonici, cæterique Ecclesiastici iam à tempore Martini tanquam Sedi Apostolicæ rebelles erant omni Ecclesiasticæ Dignitatis honore priuati, vnde non poterant legitimas Episcoporum electiones effi-

cere-

cere. Constat hoc ex processu dicti Martini contra Siculos perturbatores apud Bzouium tom. 13. anno 1281. num. 10.

Sed quia, cum præfatum adducis exemplum, inter parenthesin addidisti. *En casus Ducis Brigantiæ*; vt omnibus ignorantia, seu potius malitia tua, aut veriùs vtrunque patefiat, ausculta. Friderico II. Imperatore Siciliæque Rege à proprio filio Manfredo, quem ex concubina susceperat, compresso ore, ac spiritu per vim mori coacto, licet ipse Manfredus, & postea Conradus legitimus filius, quem suum hæredem instituerat, Regnum Siciliæ armis obtinere curarent, Summi tamen Pontifices, Sedesque Apostolica præfatum Regnum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ deuolutum omninò manere decreuerunt. tum quia esset eius feudum, tum etiam, quia Fridericus, quando occubuit, propter nefandissima scelera in eandem Sedem commissa, immò & in ipsos Pontifices, ac etiam in vniuersam Italiam, & Germaniam non semel ab eadem S. Sede fuerat non solum anathemate percussus, & vt talis publicatus, sed præfato etiam Regno omninò priuatus. 17

18 Vnde plures Summi Pontifices præfatum Regnum Carolo Valesio S. Ludouici Galliæ Regis fratri in feudum dederunt, immò & illud acceptare quodammodo coegerunt. Primus fuit Innocentius IV. de quo Bzouius anno 1252. sic habet: *Ad Carolum Andegauiæ, & Prouinciæ Comitem Magistrum Albertum Sedis Apostolicæ Nuncium misit, eidemque Regnum Siciliæ per Friderici olim Imperatoris, Regisque Siciliæ mortem ad possessionem Romanæ Ecclesiæ deuolutum certis conditionibus, & pactis iure iurando per eum stabiliendis in feudum obtulit, atque ad possessionem illius, vt quantocius accelerarent*. Secundus fuit Vrbanus IV. qui, teste eodem Bzouio, S. Ludouico Caroli fratri Archiepiscopum Consentinum Legatum misit, vt illi persuaderet, vt ad possessionem dignitatum, quæ sibi vnà cum Regnis florentissimis offerebantur tam citò quam opus esset conuolaret. Tertius Clemens IV. *qui Caroli studiosior* (inquit Bzouius) *Bartholomæum Simonem tituli S. Ceciliæ Cardinalem Legatum, & Pignatellum Archiepiscopum Amalphitanum in Gallias misit, qui eum non tantum inuitarent, sed magis perurgerent ad iter accelerandum & titulum Regium assumendum*. Quod de facto peregit, & a Clemente Pontifice in Regem Siciliæ renunciatus antequam Regni possessionem acciperet, coram quinque Cardinalibus Legatis iuramentum ligium homagium Clementi Sedis Apostolicæ Pontifici, Romanæque Ecclesiæ, Vrbis ex formula conceptis, præstitit, & tertio confirmauit: & inter capita iurisiurandi primum, & præcipuum fuit confiteri præfatum Regnum se beneficiario iure à Romana Sede suscipere, quod tandem suscepit, & gubernauit per plures annos, quousque Siculi occisis omnibus Gallis, qui erant in Insula propter malam administrationem & tyrannidem ministrorum in ipsos exercitam, eum repudiarunt, è Regno que eiecerunt; acclamantes Petrum Aragonium, qui inuita immò & contradicente Sede Apostolica, cuius ditionis, nemine negante, dictum Regnum erat, non minus tyrannicè occupauit, quam administrauit. Vnde præfata S. Sedes sæpè sæpius illum, & post eius miserum exitum, filium Iacobum anathemate perculit, vt iam ostendimus. Quibus positis, dicas mihi ingenuè, quamnam similitudinem in his duobus casibus reperisti? Lusitania ne erat ditionis Romanæ Ecclesiæ? Donauit nè Sedes Apostolica illam Philippo II.? Compulit ne eum, vt illam acceptaret? Rex Ioannes forsan Philippo IV. illam vsurpauit, & contra ipsum (vt tu mendaciter dicis) tanquam rebellis insurrexit? Non ne quod suum erat, & Philippus II. vsurpauerat, tertiusque, & quartus retinuerant, sibi restituit, immò & ipsum Regnum, quod præfatæ successionis priuatiuus iudex erat, illi nemine compellente, nulla vi, aut dolo interueniente se libentissime subijciens, ipsum dominium illius esse iudicauit? perlege supracitatos in præfatione Doctores, & ipsum verum, legitimumque præfati Regni hæredem extitisse reperies, nullumque alium inueniri posse. In quo igitur casus iste Ioannis cum Philippo, illi Iacobi cum Carolo tibi similis videbatur? Reuerende Pater de Bellis dubijs (vt in principio dixi) Epistolam hanc tuam mihi scriptam adornasti, non tamen in ipsis resoluendis, & resolutionibus comprobandis bellum historiographum, doctum iurisperitum, immò nec sanum Theologum te ostendisti. Non primum, quia historiam cuius formalitas est veritas, adulterasti: non secundum, quia iura

falsò citasti, & extra rem adduxisti: Non demum tertium; quia postposita conscientiæ securitate contra ipsam resoluisti.

19 Secundum exemplum, & in ordine ad suffragia ate emendicata, sextum deducis, seu potius probare intendis ex extrauag. commun. Sancta Romana de elect. & tu asseris, procedit, quia vertente bello inter Andronicum Palæologum Imperium possidentem, & Balduinum spoliatum, neutrius præsentationes pro Ecclesia Constantinopotinana admisit Bonifacius VIII. sed ad Romanum Pontificem illius electiones aduocauit. In primis ex temporum Computatione non constat, immò nec probabiliter deducitur, quod tempore dictæ exstrauagantis illud verteretur bellum inter Andronicum, & Balduinum, quia Balduinus fuit expulsus Imperio à Michaæle Andronici Patre anno 1259. statutum verò Bonifacij factum fuit anno 1302. quadragessimo tertio post expulsionem Balduini, quando iam Andromicus ab illo (si adhuc in viuis erat) nullam patiebatur contradictionem. Sed, vt tuum mendacium fædius omnibus innotescat, Concedimus ita esse, vt tu supponis, veniamus tamen ad extrauagantis examen: nihil igitur per necessarium sensi, nisi ipsum textum ad pedem litteræ hic transcibere. Supponit primò Pontifex Patriarchalium Sedium prouisionem, vt pote principalium Sedis Apostolicæ Ecclesiarum maiori cosideratione esse ordinandam: deinde sic adiungit. *Occurrit, quod omnes, proh dolor, prædictarum Sedium Patriarchalium Ciuitates, aut sunt destructæ, aut occupatæ ab infidelibus, vel à Schismaticis detinentur, ipsarum Capitulis, seu Conuentibus, & Canonicis dispersis vndique extra ciuitates ipsas per alias Regiones, seu loca à Ciuitatibus ipsis remota. Ex quo contingit, (sicut experientia ipsa nos docuit) quod vacante Constantinopolitana Ecclesia per mortem bonæ memoriæ Petri Patriachæ solum per vnum duntaxat eius canonicum fuit de nouo Pastore electio celebrata, aliis canonicis suis agentibus in remotis. Dictus tamen electus iuri, si quod sibi ex electione huiusmodi competebat, in nostris manibus sponte ac liberè resignauit. Ideo de eorundem fratrum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus, vt quandiù Ciuitates ipsæ Schismaticorum, aut infidelium subsunt, aut suberunt ditioni, aut detinebuntur per eos, Canonici dictarum Patriarchalium Sedium, cum eas, vel ipsarum aliquam, vel aliquas vacare contigerit, ad electionem, postulationem, seu quamuis prouisionem de præficiendo sibi Patriarcha, vel Pastore nullo modo procedant, quousque ad Apostolicæ Sedis notitiam deducatur &c. Dat. Later. 10. Kal. Ianuar. Pont. nostri anno 7.*

20 Constat igitur ex hoc textu causam aduocationis electionum Ecclesiæ Constantinopolitanæ ad Sedem Apostolicam per Bonifacium VIII. factæ. non fuisse bellum inter Andronicum Imperij possessorem, & Balduinum spoliatum, vt tu falsò dicis, sed quia fuit facta prædicta electio ab vno solo Canonico. Vnde manifestè patet, quod tunc temporis præfatæ Ecclesiæ, similiter & cæterarum electiones ad Principum præsentationes non fiebant, sed per Canonicorum suffragia. Constat etiam quòd electus, si quid iuris ex præfata electione sibi competebat, illud in manibus Pontificis resignauit. Constat itidem, quòd Pontifex non aduocauit ad Sedem Apostolicam electiones, siue prouisiones illarum Ecclesiarum, sed tantummodò quod Canonici, quandiù Ciuitates illæ schismaticorum, aut infidelium ditioni subessent, ad electiones Pastorum non procederent, quousque Sedes Apostolica certior fieret. Vnde secundò confirmatur, quod etiam post præfatam reseruationem electiones non fiebant ad Principum præsentationem, sed à Capitulis Ecclesiarum. Quid igitur sperabas me circa hoc exemplum dicturum? Prudentius silere duxi, quam te non solum mẽdacem sed impudẽtem etiam proferre.

21 Tertium exemplum, septimumque suffragium est Honorij III. qui lugentibus Ecclesijs Capuana, Beneuentana, Auersana, & alijs ob duritiem Imperatoris Friderici Regnum possidentis, non nisi a se præsentatos Præsules volentis, se solo dictis Ecclesijs Pastores præfecit. In primis præfatum exemplum, vt tu de illis, quæ Orator Lusitanus Sanctiss. Domino Alexandro proposuit, falsò asseueras, est extra lineam, quia Fridericus non solum erat legitimus Rex ab Honorio pro tali recognitus, sed neminem habebat contradictorem, cum quo de Regno contenderet: Vnde non quòd lis esset indecisa inter duos, prouisio deuoluta ad Sedem Apostolicam censebatur, quod est tuum intentum in hoc primo dubio probandum. Sic

que

que alia ratio assignanda est, ob quam Pontifex se solo dictas Ecclesias de Pastoribus prouiderit: illam refert ate citatus Odoricus Raynaldus tom. 13. ad annum 1225. num. 45. sed malè ate intellectus & peius interpretatus. Sic enim asserit Honorium scripsisse Friderico, quando præfatas Ecclesias se solo prouidit.

22 *Videntes, quod diutina Capuanæ, Selernitanæ, Brundusinæ, Consanæ, ac Auersanæ Ecclesiarum uacatio in graue, non solum rerum, sed etiam animarum periculum redundabat: Et attendentes, quòd id nobis, & tibi imputabatur publicè ab hominibus, ac nè imputaretur adeò anxie metuentes ipsis Ecclesijs, & famæ, ac saluti nostræ, tuæque simul, curauimus prouidere ipsas Ecclesias, respectu ad solum Deum habito, de personis tibi merito acceptandis.*

23 Vt verba illa, *id nobis & tibi imputabatur publicè ab hominibus*, melius intelligantur, sciendum est, quid causæ interesset, ob quam præfatæ Ecclesiæ diù vacassent absque prouisione aliqua? Certum existimo te illam non ignorasse, sed malitiosè, vt assoles, reticuisse: Eam igitur eisdem Bzouij verbis referre necessarium duxi: sic enim anno 1226. num. 1. asserit. *Cum Honorius Pontifex amplius ferre non posset diuturnam Ecclesiarum Capuanæ, Salernitanæ, Brundusinæ, Consanæ, & Auersanæ viduitatem, eo quod Fridericus contra ius iurandi formulam Electiones Pontificum misceret, hominesque ineptos, & indignos, obtruderet, Honorius ex decreto Consilij Cardinalium, atque Prælatorum Antistites illis Ecclesijs authoditate Apostolica præfecit.* Quod quidem ideo fecerat quia iuxta concordatam cum Constantia Imperatrice, & Friderico eius filio ad ipsum Pontificem pertinebat electiones Episcoporum facere, & solum requirebatur Consensus Regius, antequam qui esset electus Ecclesiæ administrationem susciperet. Constat ex Epistola Innocentij III. ad Constantiam Imperatricem vbi refert, quod Regnum Siciliæ est Ecclesiæ feudatarium. Legatur Odoricus anno 1198. num. 68. Quid autem sit electiones miscere indignosque, ac ineptos obtrudere, dequo conquerebatur Pontifex Honorius anno 1222. num. 3. ostenderat iam præfatus Bzouius ita dicens. *Fridericus Imperator spreta iurisiurandi religione, multa, & quidem enormia aggressus, ditionem vexabat Pontificiam: Pontifices, & Archiepiscopos in Ecclesijs ad libitum instituebat: electiones liberas violabat: institutos, vel confirmatos à Pontifice Romano expellebat. Ecclesia quoque Capuana ab eius temeritate non immunis fuit, cum in eius Archiepiscopi electionem manus imposuit.* Ita Bzouius. Cumque tunc temporis, vt ex dictis patet, electiones Episcoporum à Capitulis Cathedralium, non verò ad præsentationes Principum fierent, inde Honorius præfatas electiones, vtpote quia fieri non poterant, qua decebat libertate, & ob id dictæ Ecclesiæ tandiù Pastoribus orbatæ perriistebant, nè diuturnius viduarentur, se solo eas prouidit. Quid ergo, Amice, simile habet casus iste cum Lusitania? Ioannes nè se immiscuit electionibus Capitulorum, vt ineptos, & indignos obtruderet? Expulit nè aliquem rite electum ab aliquo Capitulo, alium eius loco intrudens? Violauit nè electionum libertatem? Vacationes sexdecim annorum Ecclesiarum sui Regni possunt ne ipsi imputari, cum iam quater Oratores suos ad Summos Pontifices miserit, super eisdem Ecclesijs prouidendis? quid igitur amplius facere debuit, quod non fecerit? non ergo per illum stetit (quemadmodum per Fridericum) quin præfatæ Ecclesiæ de Pastoribus prouiderentur; per quemnam ergo steterit, Deus scit, & ipse vnum quemque iuxta opera sua indicabit. Sedenim, si Sanctus ille Pontifex Honorius anxiè metuebat, nè illarum Ecclesiarum vacatio publicè ab hominibus sibi imputaretur: audiantur, si non publicæ, saltem communes populi Romani voces, immò & totius Orbis Catholici, illa parte excepta, quæ Catholica antonomasticè vocatur.

24 Vltimum exemplum, ac suffragium ex eo desumis, quòd Innocentius X. motu proprio, nulla præuia præsentatione, pro Ecclesijs Mirandensi, Visensi, & Ægitanensi, Petrum de Meneses, Emmanuelem de Saldagna, & Petrum de Alencastre in Consistorio Cardinalium præconizauit. Vt huic exemplo satisfaciam, sciendum est, quod religiosus quidam, qui tunc temporis Romæ morabatur, & aliquantulum apud Regem Ioannem valebat cupiens valdè Ecclesiarum Lusitaniæ prouisiones, vt cunque eas obtinere posset, dicto Pontifici aut suggessit, aut saltem arbitrium iam illi priùs ab aliquo politico suggestum nimis approbauit; vt

scilicet

fcilicet eosdem met fubditos Regis Ioannis, quos ipse ad præfatas Ecclesias nominauerat eisdem Ecclesijs motu tamen proprio præficeret: quia in hunc modum vtrique coronæ fatisfacere poterat, Lufitanæ, eo quod perfonas à Rege Ioanne nominatas, feu præfentatas præficiebat: Caftellanæ, quia non ad præfentationis Ioannis, fed motu proprio, & ex mera gratia dictas perfonas prouidebat. Non fatis placuit hoc arbitrium Innocentio ex eo tantum, quod prudenter verebatur, ne præfatus Ioannes huiufmodi prouifiones acceptaret, vnde per aliquod tempus refolutionem fufpendit. Religiofus tamen præfatus opportunè, immò & importunè pro executione inftabat: Pontifex verò nullam illi habebat fidem, licet conftanter affirmaret fe certò fcire, Regem prouifiones huiufmodi effe acceptaturum. Pontifex nihilominus illi infinuauit neceffarium effe de Regis voluntate fe certiorem reddi. Poft aliquot verò menfes dictus Religiofus cuiusdam Regii miniftri epiftolam Pontifici oftendit, inqua afferebatur præfatas prouifiones fore acceptandas, fi Pontifex aliter eas concedere noluiffet. His permotus Innocentius, quia quod defideratur faciliùs creditur, fidem dictis litteris habuit, & tres illos Epifcopos in Confiftorio motu proprio præconizauit.

25 Sed quid inde? Statim poft dictum Confiftorium ab aliquo Zelofo Pontifex fuit admonitus, vt perattentè confideraret, quid faciendum, quia Lufitanus Rex præfatas prouifiones nullo modo erat admiffurus: tunc Pontifex prouifionum huiufmodi publicationem fufpendit, poft modumque de veritate certior factus filentium in præfato negotio omninò impofuit. Hæc eft facti veritas, quam vel omninò ignorafti vel, fi nofti, malitiofè tacuifti, vt exempla inutilia abfque fructu multiplicares.

26 Sedenim, vt omninò confundaris, veniamus ad id, quod poftea egit Innocentius, vt præfumi poteft, Confcientia ductus. De totius caufæ meritis fatis informatus, poftquam domefticarum rerum ftatum ftabiliuit, fæpe fepiùs inquifiuit, an Romæ perfona aliqua moraretur, cum qua de rebus Lufitaniæ finaliter agere poffet: nolebat enim cum illius Regni alienigena rem pertractare: quod teftificari poteft Emminentiffimus D. Cardinalis Aftalli, tunc temporis Panfilius, & Nepos Pôtificis, qui ita non nullis perfonis, quæ, fi oportuerit, nominandæ erunt, mentem Pontificis fignificauit: Cumque talis perfona non inueniretur, Nuncio cuidam Apoftolico extra Italiam apud quemdam magnum Principem commoranti fcribi mandauit, vt cuidam Lufitano Oratori in eadem Curia refidenti fibi gratiffimum fore fignificaret, vt aliquam perfonam Romam mitteret, cumqua ipfius, fuique Regis nomine perageretur. Dictus Orator perfonam à fe electam nominauit, & cum ea de dictis negotijs per aliquot menfes de ordine præfati Pontificis actû eft. Sedenim propter ipfius longam infirmitatem, & mortem fubfecuram tractatus imperfectus remanfit: vt piè credendum eft, quia (Deo iufto Iudice fic permittente) hoc heroicum opus Sanctiffimo D. N. terque Beato Patri Alexandro VII. referuatum erat quia non folum nomine, ac Patria, fed fortitudine quoquè atque integritate verus tertij Alexandri fucceffor eft. Ita vniuerfus Orbis Catholicus fidentiffimè auguratur. Et hæc ad confutãdum tuum vltimû exemplum fufficiant.

27 Nihilominus tamen aliud addidifti non folum ineptum, & extra lineam, fed falfum, & mendax fi non in omnibus abfolutè, faltem in pluribus fuis claufulis. Afferis enim, quòd cum agitur de iure præfentandi ad Regna temporalia confueuerit Sedes Apoftolica, fe fola, eligere Reges, fi durante difcordia inter præfentatos, Regna diù vacare contigerit. Quod fecit, vt tu dicis, Martinus IV. cum indulfiffet Regi Galliæ ius nominandi aliquem ex fuis confanguineis ad Regnum Aragoniæ, pro exuerat Petrum perduelem, ea tamen lege, vt in cafu dilationis propter prætendentium diffidia, ad Sedem Apoftolicam deuolueretur electio. Fateor ingenuè, non potuiffe hæc tua cõmenta legere abfque ftomacho: debueras enim tibi perfuadere hanc tuam Epiftolam deuenturam effe folummodò ad Æthiopum, feu Guineorum manus, vel faltem illorum, inquorum fubfidium illam tot falfitatibus refertam conglobafti: vnde nec latinam linguam intelligere, nec hiftorias perluftrare, minufque Doctores claffsicos peruoluere, eorumque fenfa perquirere valerent.

Sed-

Sedenim missis pluribus, quæ in confutationem præfati exempli adducere po- 28
tetam, transcribere rantum ipsamet verba Diplomatis Martini a te citati anno 1.
eius Pontificatus, Christi verò 1281., necessarium duxi. Inter multa igitur circa
eandem materiam ad Episcopum Portuensem Apostolicæ Sedis Legatum ita scri-
bit. *Nos Regnum Aragoniæ terrasque cæteras eo tempore dicti Petri, de fratrum nostro-
rum consilio exponentes modo subscripto, ipsum Petrum tunc Regem Aragoniæ ipsis Regno
& terris, Regioque honore sententialiter, iustitia exigente priuauimus, & priuantes expo-
suimus eadem Regnum & terras occupāda Catholicis, de quibus, & prout dicta Sedes Apo-
stolica duceret prouidendum in eisdem Regno & terris præfatis eiusdem Romanæ Ecclesiæ
saluo iure, sicut hæc omnia per nos habiti super ijs de fratrum ipsorum consilio processus,
& latæ sententiæ seriosiùs manifestant.* Et infra. *De vtili verò, & efficaci executione
priuationis, expositionis, & occupationis huiusmodi cum eisdem fratribus deliberatione
præhabita, de ipsorum consilio deliberationis eiusdem direximus exitum ad singularem,
post Deum earundem fidei, & Ecclesiæ defensorem, ad Christianissimi videlicet Charissi-
mi filij nostri Philippi Regis Franciæ illustris, ipsorumque Regis, generisque sui incliti Re-
gni sinceram fidem, ad Deum constantem deuotionem, ad ipsum, & Ecclesiam, grandem-
que potentiam attendentes, aliquem de ipsis Regis Franciæ filijs, alio tamen ab eo, qui est
sibi in Regno Franciæ successurus, ad occupandum dictum Regnum Aragoniæ, & Comita-
tum Barchinonæ, qui est de terris expositis, quæ olim fuerunt dicti Petri, ministerio dilecti
filij nostri Ioannis titulo S. Ceciliæ præsbyteri Cardinalis, nunc dictæ Sedis Legati autho-
ritate Apostolica, quam sibi per nostras sub certa forma litteras de ipsorum fratrum consi-
lio in hac parte Commisimus, voluimus prouideri, & ipsum ad id faciendum singulariter
deputari. Memorato igitur Rege Franciæ attentante, ac sumente negotium, & ad præmis-
sa Charissimum in Christo filium nostrum Carolum Aragoniæ, & Valentiæ Regem illustrē
secundo genitum natum suum de Archiepiscoporum, Episcoporum, & Baronum ipsorum
eligente consensu idem Cardinalis de ipso iuxta formam sibi traditam ad eadem facienda
prouidit, & eum ad illa singulariter deputauit,* 29

Quid multis, vt te mendacem agnoscat Orbis? In primis in præfato casu nihil
de iure præsentandi ad Regna, agebatur: nec ex illo deducitur consueuisse Sedem
Apostolicam se sola eligere Reges, si durante discordia inter præsentatos, contin-
geret Regna diù vacare, quia nulli erant præsentati, & consequenter nulla discor-
dia. Regnum non erat sine Rege tanquam vacans, cum Petrus illud possideret,
semperque in sua possessione permansisset, etiam post decretum, & sententiam Se-
dis Apostolicæ. Pontifex non concessit Regi Franco, vt indifferenter nominaret
aliquem ex suis consanguineis, vt tu falsò dicis, sed tantummodò aliquem ex fi-
lijs, dummodo non esset primogenitus, qui hæreditare debebat Galliæ Coronam.
De consensu Archiepiscoporum, Episcoporum, & Baronum absque vlla contra-
dictione Carolum secundo genitum nominauit, & Cardinalis Legatus illum ap-
probauit, & authoritate sibi à Pontifice commissa confirmauit; qui quidem Pon-
tifex nulla conditione, vt scilicet in casu dilationis propter dissidia electio ad Se-
dem Apostolicam deuolueretur, præfatam nominationem concessit. 30

Ecce Amice (si talem dicere non erubescerem, qui tot falsitatibus, tot menda-
cijs, tot quæ cauillationibus amico indignis, refertam Epistolam, immò, & coa-
gulatam mihi scripsisti) in puluerem, quin immò in aerem omnia tua suffragia
redacta. Ecce Canones, Concilia, Principes, Consuetudines, Pontifices, ac tan-
dem ipsius Regni Lusitani Ordinationes clamitant contra te in plateis, testifican-
tes tanquam blasphemium politicum, & moralem reum esse supplicij: non præ-
tendit Rex Lusitanus suo iure, (vt tu falsissimò assetis) Christi Vicarium spoliare,
sed suum proprium, vt naturæ lege tenetur, tueri. Et hoc non per vim, non mi-
nis, non cauillationibus, non deceptionibus, sed reuerentia, humiliatione, sub-
missione, vt in sequentium tuorum motiuorum confutatione apertiùs declarabi-
tur. Quatuor Oratores, seu potiùs Legatos, & si diuersis titulis ad S. Sedem mi-
sit, semper deprecans, semper rogans, semper rationes suas, qua decet filium erga
patrem, filiali subiectione proponens. Si vsque modo non fuit exauditus, quis
dubitare potest, quod saltem propter importunitatem, tanquam ille alius amicus
Euangelicus exaudietur: maximè a tam Sancto, tam docto, tam pio, tamque Dei,

& Ecclesiæ sibi diuinitus commissæ Zelatore Pontifice, qui ad imitationem illius veri Pastoris, qui nonagintanouem oues in deserto relinquens, pro vna sola, nè periret, adeò est fatigatus, donec eam inueniret, & humeris portatam ad pascua reduceret: Regnumque Deo sanctificatum, vt Christus Dominus primo Alphonso promisit, quod Ecclesiæ Catholicæ, non solum innumeras oues, sed innumera etiam ouilia comparauit, nullo modo derelinquet, vt pereat.

Prosequeris fatalem tuam Epistolam dubitando secundo.

An fiat iniuria Duci Brigantiæ, si eius præsentationes non admittantur hodie à Sede Apostolica?

1 IN quo quidem dubio absolutè resoluis, nullo pacto esse admittendas, ac propterea nullam illi irrogari iniuriam si reijciantur: quod, vt probes, tria proponis motiua: quorum primum est.

Quia Reges Portugalliæ nunquam habuerunt ius præsentandi, sed tantum supplicandi.

2 Antequam ad hoc primum motiuum confutandum accederem, inutile, extrarem, & hominis iuris ignari præfatum dubium excitate, tibi ostendere decreui. Primò, quia supponis præsentare esse aliquid diuersum à nominare, seu supplicare, cum tantummodò tanquam genus a suis speciebus differat. Deducitur ex ipsamet definitione, quæ sic habet. *Præsentatio est exhibitio personæ per patronum Episcopo, vel alteri ad quem institutio pertinet, legitimè facta.* Ita Abbas in cap. ea noscitur. De his quæ fiunt a Prelato. Roch. de iur. patr. q. 3. & cæteri, quos refert, & sequitur Barb. de offic. Episc. p. 3. alleg. 72, num. 113. Vnde cum præfata exhibitio, seu præsentatio personæ fiat, vel eam nominando Superiori, cui competit institutio, vel pro ea supplicando, vt instituatur, inutilis sane est disputatio: an Reges Lusitani habuerint ius præsentandi cum infrà fatearis habuisse ius supplicandi? Nanque idem omninò est, nisi quod ad Cathedrales est modus loquendi modestior, propter authoritatem Summi Pontificis, cui soli competit Episcopos instituere. Quod infra confirmabimus pluribus exemplis, ex quibus manifestè constabit Summos Pontifices easdemmet Ecclesias quandoquè ad nominationem, aliquando verò ad supplicationem absque vlla differentia prouidisse.

3 Secundo inutile etiam est præfatum dubium, quia Rex Lusitanus à Sede Apostolica non prætendit, vt Ecclesiæ suorum Regnorum hoc, vel illo modo prouideantur, sed tantummodò illo: tempore veterum Lusitanorum Regum iam præscripto, ac stabilito. Quo supposito inutilis sanè fuit & extrarem præfata dubij excitatio. Sedenim nè vanè præsumas efficacitatem tuarum rationum, & exemplorum super hoc particulari adductorum effugere velim, illis omnibus singillatim ita respondeo.

4 Primam tuam probationem exeo deducis, quod Doctores Lusitani inconstanter: ac varijs linguis loquuntur. Primum absolutè nego, & rationem statim reddam. Secundum, si idem est apud te, atque diuersis medis, absolutè concedo. Si autem in obliquo loqueris, quasi dicere velis varijs acfictis medijs, non solum nego, sed miror te hominem tua æstimatione doctum, adhuc ignorare quamlibet resolutionem, seu conclusionem varijs medijs ex varijs queprincipijs deduci, & comprobari posse, nec proinde reijcienda esse testimonia quantunuis varia, sed magis amplectenda, vt pote pluribus rationibus fulta, à pluribusque principijs deducta. Sed veniamus ad Doctorum examen.

5 Primus, quem reprobas, est Cabedo Iurisconsultus Lusitanus, exeo tantum, quia Regum Lusitanorum authoritatem ad Ecclesias Cathedrales nominandi, ad præsumptionem priuilegij Apostolici refert. Inprimis falsò allegas præfatum Iuris consultum, nisi te ignorantia excuset, quæ ramen & si in alijs sit crassa, in viro litteras profitente erit crassissima: non enim distinxisti inter credere, & præsumere: Cum credere idem sit atque fidem habere, præsumere autem imaginari, seu

ſeu ſuſpicari. Cabedo autem cap. 37 de patrim. Reg. Cor. a te citatus non dicit
quod ſit imaginandum, ſeu ſuſpicandum, ſed abſolute, quod ſit credendum ex
priuilegio Summorum Pontificum nominationem, & ius præſentandi ad Epiſco-
patus competere Regibus Luſitanis, quemadmodum Regibus Hiſpaniæ, vt de-
ducitur ex gloſ. in cap. Hadrianus 63. diſt. *Eruerunt nanque terras a faucibus Mau-
rorum*. Vt in ſpecie tradit Ferret. de iuſto, & iniuſto bello num. 24. Nauarrus in
cap. nouit. notab. 3. num. 165. de iudicijs. Authores autem, quos in ſuæ ſenten-
tiæ confirmationem adducit Cabedo, videlicet Archidiac. Bald. Greg. Lop. Pa-
lat. Couarru. Didac. Per. Rebuf. Gerson. in locis ab ipſo citatis videre poteris,
nè ampliùs dicas, quod ille ſit ſolus, ac proindè de veritate ſuſpectus, quia non eſt
cum alijs concors.

Rodericus de Acugna alio medio, optimo tamen, eandem authoritatem Regi- 6
bus Luſitanis attribuit, ex poſſeſſione videlicet immemorabili, quæ licet ex Se-
natore Gabriele Pereira de man. Reg. initium ſumpſerit ab Alphonſo V. non
ideò immemorabilis deſijt eſſe: poſſeſſio nanque immemorabilis in centum annis
verificatur, vt patet per M. Anton. variar. reſol. lib. 1, reſol. 80. num. 11. Fran-
ciſcum Leoni theſaur. fori Eccleſ. p. 2. cap. 11. num. 5. Garz de benef. p. 12. cap.
2. num. 263. & plures alios, quos refert & ſequitur Barboſa de iur. Eccleſ. lib. 3,
cap. 12. num. 70. Cumque ab Alphonſo V. vſque ad Henricum vltimum Regem
Luſitanum anni centum quinquaginta, & amplius decurrerint, quibus poſſeſſio
præſentandi, ſeu nominandi, aut ſupplicandi probatur, optimo medio vtitur
Acugna ad probandam authoritatem Regum Luſitanorum ex poſſeſſione imme-
morabili: maximè, cum paucis ante annis reſeruatio Benedicti XII. ad Sedem
Apoſtolicam practicari cæperit: Si quidem antea electiones Epiſcoporum, vt ſu-
prà oſtendi, à Capitulis Cathedralium, non vero ad nominationem, ſeu præſenta-
tionem Principum fieri ſolebant.

Alij, vt dicis, authoritatem Regum Luſitanorum ad nominandos Epiſcopos re- 7
ferunt ad ius commune, de quibus infra nobis eſt dicendum. Et ex hac varietate,
ſeu diuerſitate mediorum de veritate ſuſpectos publicas teſtes Luſitanos, vtpote
non concordes. Sed enim ad finem reſponſionis huius tui motiui, illorum trium
mediorum reſeruo fundamenta, quia, vt clarius procedamus, priùs tuis rationi-
bus, & exemplis reſpondere, ſeu potius ea confutare operæ pretium duxi.

Primam igitur tuam rationem ex Concilio Trid. ſeſſ. 25. cap. 9. deſumis vbi 8
(vt tu falsò dicis) agens de iure patronatus Principum ita loquitur. *In his hoc
ius ex vſurpatione potius plerumque quæſitum præſumi ſolet*. In primis non loquitur
Concilium de iure patronatus Principum, ſed poſtquam decernit documenta,
quibus titulus iuris patronatus probari debeat, ſic adiungit. *In ijs verò perſonis*
(ſunt formalia verba Concilij) *ſeu Communitatibus, vel Vniuerſitatibus, in quibus
id ius plerumque ex vſurpatione potius quæſitum præſumi ſolet, plenior, & exactior proba-
tio ad docendum verum titulum requiratur*. Non erubeſcis, Amice, quod ita de aper-
ta falſitate conuincaris? quid ſentiendum de tuis ſcripturis? quid deinde de te
viro religioſo? Confeſſus nè fuiſti de hoc falsò teſtimonio, quod Sacroſancto Con-
cilio perfidè impoſuiſti? Ex quo dicas, deduxiſti loqui Concilium de vſurpatio-
ne iuris patronatus Principum? vbi præfato loco a te citato agitur de Principi-
bus? non nè manifeſtè patet Concilium non loqui de iurepatronatus Principum,
ſed de probatione requiſita ad probandum iuſpatronatus cuiuſcunque perſonæ,
ſeu Communitatis &c. decernens tantummodò, quod in illis, in quibus vſurpa-
tio præſumi ſolet, exactior requiratur probatio? Pudeat iam, pudeatque te iterum
tot falſitatibus toties circumuentiū: ſed nunquid Æthiops poterit mutare pellem?

Addis inſuper, mendacium mendacijs cumulans, quod Concilij decretum præ- 9
ſertim de Regibus Portugalliæ verificari firmauerit Rota apud Puteum deciſ. 5.
in correctis; & quod conſentit Barboſa de iur. Eccleſ. lib. 3, cap. 12. num. 135.
Vocemus igitur Puteum ad examen, & audiamus eius teſtimonium. Præfato lo-
co a te citato ita de veritate deponit. *Iuſpatronatus Parrochianorum in dubio præſu-
mitur acquiſitum per vſurpationem: ita idem diceremus in iure patronatus alicuius Ma-
gnatis, prout tunc diſputabatur de iure patronatus Infantis Hiſpaniæ, & dicebat D. Mar-*

ſicanus,

ficanus, quod ista fuerat quadam nota D. Simonetæ, qui nullam doctrinam allegabat: Sed D. Marsicanus dicebat, quòd ratio est, quòd in istis Magnatibus præsumitur, quòd Ordinarius non audeat contradicere, quod secus est in alijs priuatis.

10 Ex huiusmodi testimonio constat primo, Puteum, siue Rotam de iure patronatus Parrochianorum tantummodò loqui: & quanuis per consequentiam vsurpationis præsumptionem ad ius patronatus Magnatum extendat, & adducat exemplum, non tamen Regum Portugalliæ (vt tu falsò dicis) sed Infantis Hispaniæ. Deinde D. Marsicanus rationem extensionis reddens, illam esse asserit, quia Ordinarius istis Magnatibus contradicere non audet. Ex qua quidem ratione certò certiùs constat non loqui de vsurpatione iurispatronatus ad Ecclesias Cathedrales, sed tantummodò ad minora beneficia, quæ, cum conferantur ab Ordinario, potest ille non audere Magnatibus resistere: Ecclesiæ autem Cathedrales à solo Summo Pontifice conferuntur, qui tanquam omnium Principum, & Potestatum Superior potest, & debet illis resistere si indebitè aliquid obtinere prætendant. Vndè euidenter conuincitur, quod iam supra ostendimus, non valere videlicet argumentum à minore ad maius, non enim, quia vsurpatio Magnatum respectu Ordinariorum præsumitur, sequitur, quod præsumatur etiam respectu Summorum Pontificum, qui sunt supremi, & absoluti dictarum Ecclesiarum domini, & vt tales illi soli eas possunt conferre.

11 Ad allegationem verò Barbosæ dicendum est, verum quidem esse illum occasione verborum Concilij nominare plures Magnates, de quibus præsumi potest vsurpatio beneficiorum, inter quos numerat Infantem, non Hispaniæ, vt Puteus, sed Portugalliæ, immeritò tamen quia Ecclesia illa, cuius patronatus controuertebatur non erat Regni Lusitani, sed Aragonij. Attamen demus, quod ita esset, quid inde, vt quod de vno non iam Rege, sed Infante Portugalliæ (ex quo apertè constat loqui de minoribus beneficijs, non verò de Ecclesijs Cathedralibus) ille dixit tu velis omnibus præfati Regni Regibus applicare; sic sunt omnia tua fundamenta.

12 Sed iam ad exempla accedamus. Primum igitur a te adductum est Gregorij IX. qui, vt tu dicis acriter incurrit in Sancium II. eo quia in quibusdam Portugalliæ Ecclesijs ius patronatus contra iustitiam sibi vendicabat. Non miror sanè, quod in hoc, & sequentibus exemplis causam effugas, cum difficilè tibi videretur exemplar Epistolarum, & Constitutionum Apostolicarum a te allegatarum, me reperire potuisse, Siquidem etiam de illis, quæ facilè reperiri poterant falsò immò & falsissime loquaris. Nihilominus tamen non defuerunt annales, ex quibus veritatem facti, & consequenter falsitatem tuam eruere valeremus. Constitutio à te citata fuit expedita apud Lateranum annò Christi 1227. primo verò Pontificatus Gregorij IX tetio nonas Maij. In dicta autem constitutione referebat Pontifex, quòd *Sancius II.* (sunt formalia verba Brouij) *Eo nomine Rex Ecclesias, præsertim Portugallensem opprimebat, erat ea ciuitas iuris Episcopalis, non tantum in re Ecclesiastica, verum etiam ciuili, nam inter hæreditarias censebatur. Ibi Rex, siue Ecclesiasticorum odio, siue rei augendæ studio, Ciues exactionibus emungere, oneribus grauare, & tandem carceribus affligere perseuerauit, neque destitit, licet sæpe sæpius moneretur. Dolebat Gregorius hominis tum contumaciam, tum impietatem: ac proinde monebat, ne dignitatem suam ea indignitate contaminaret, alioquin sciret à Commissarijs suis Episcopo, Decano, & Cantore Zamorensi anathemate esse plectendum.*

13 Vides ne iam tuum mendacium, immò & falsum testimonium illi Regi, licet in Ciuilibus inepto, a te imposito? Cur (dicas mihi ingenuè) quod Pontifex de exactionibus, & oneribus tantùm dicebat, tù ad vsurpationem iuris patronatus mendaciter refers? Sed de ijs omnibus infra clarius, & distinctiùs.

14 Secundum exemplum est Gregorij X. qui, vt tu asseris, censuris perstrinxit Alphonsum III. eo quia ius patronatus Ecclesiarum vsurpabat, illasque pro libito conferebat. Ad hanc falsitatem, misso, quod hæc imposita vsurpatio nullo modo intelligi potest de Cathedralibus, propter tactas superiùs rationes, & infra enucleatius explicandas, euidenter probatur te omninò erraste: Gregorius enim anno 1272. mense Aprili Romam venit, solemnique ritu inunctus, salutatus que est Summus Pontifex; Alponsus autem tertius, quem tu iuris patronatus Ecclesiarum

siarum vsurpatorem decantes, anno Christi 1271. testamentum suum confecit, sub quo postea mortuus est, in quo, si quid de bonis Ecclesiæ defraudauerat, non solum cumulatius restitui fecit, sed multa alia Ecclesijs legauit, quæ infra ex parte recensebo: referamque illa omnia, quæ contra ipsum fecit præfatus Gregorius, & eius successores.

Tertium exemplum est Nicolai IV. qui arguit Dionysium, non, vt tu dicis, de 15
eadem iuris patronatus vsurpatione, sed de bonis Ecclesiasticis sibi comparandis Et de alijs vexationibus Clero illius Regni illatis; propter quæ Archiepiscopus Bracharensis, & alij Episcopi nomine totius Cleri dictum Dionysium apud Sedem Apostolicam iniuriarum postulabant, quod iam apud alios Pontifices similiter fecerant. *Dionysius autem* (sunt verba Bzouij anno 1289. Pontificatus verò Nicolai anno 2.) *missis rum plena facultate Internuncijs Martino Petri Cantore Eborensi, & Ioanne Martini Canonico Colimbriensi, Archiepiscopos, Episcopos, & Vniuersum Clerum accusabat, seque innoxium, iniustè a cætu fidelium separatum, & Regnum interdicto Ecclesiastico iniquioribus rationibus subiectum criminabatur. Cognoscendis controuersijs Nicolaus Pontifex præfecit latinum Ostiensem, & Veletrensem Episcopum, & reliquos duos*
Sanctæ R. Ecclesiæ Cardinales &c. 16

Iam ex supradictis euidenter constat rem esse controuersam inter Dionysium, & Clerum Lusitanum: & licet præfatus Archiepiscopus plurimos contra Dionysium proposuisset articulos, nullum tamen circa vsurpationem iurispatronatus ad Ecclesias Cathedrales, vndè constanter patet Pontificem Nicolaum non arguisse Dionysium præfatæ vsurpationis, vt tu pro tuo more, seu maleuolentia in Reges Lusitanos, absque vlla reuerentia falsò asseueras.

Cum autem (verba sunt Bzouij) *res in controuersiam adducta esset, ac periculum fo-* 17
ret, nè decreto Pontificio leges illæ iniquæ abrogarentur, tum Rex seueriore censura castigaretur: Internuncij Regij, qui id perspexissent, Nicolao Pontifice, & arbitrantibus Legatis ad cognitionem summa rei commissis, æquis conditionibus cum Archiepiscopo, & Episcopis totius Cleri Oratoribus nomine Regio conuenerunt. Et infra. *Omnia hæc & singula arbitrio Legatorum Commissariorum ex consensu mutuo vtriusque patris transacta, Nicolaus Pontifex dato apud S. Mariam Maiorem nonis Martij Pontificatus anno 2. Diplomate*
(hæc est epistola 50. a te citata) *authoritate Apostolica approbauit.* 18

Vt ex dictis concluditur, manifestè euincitur non consueuisse Lusitaniæ Reges iuspatronatus Ecclesiarum Cathedralium (vt tu falsò dicis) sibi vsurpare. Attamen quia etiam de alijs calumnijs conuenit illos vindicare: Sciendum est primos illos Reges, & ad ipsorum exēplum omnes Proceres, & Diuites ex ijs, quæ è Maurorum potestate eripiebant, Ecclesias, & Monasteria liberaliter, largaque manu fundasse, & ditasse. Vnde illis temporibus Ecclesiasticus status ita diuitijs cumulabatur, vt maior pars bonorum totius Regni Ecclesijs esset mancipata. Patet, quia postea Summi Pontifices ad instantiam recentiorum Regum magnam partem in Comendas reduxerunt, ad Vniuersitatesque, & alia loca pia, immò ad alia Monasteria, seu Ecclesias recentiores applicuerunt. Vnde Episcopi, alijque Ecclesiastici nimia auaritia inescati multa committebant Sacerdotio indigna. Audiatur Bzouius anno 1222. ita loquens. *Episcopus Vlyssiponensis, & ab eius exemplo reliqui Prælati auaritiæ sordibus dignitatem polluebant. Statuerant enim, vt singuli Christi fideles moribundi tertiam bonorum, vel certam aliquam partem Ecclesijs relinquerent. Si qui dicto non paruissent, non eos Sacramentorum participatione dignabantur, neque sepultura Ecclesiastica dignos esse iudicabant. Non potuit eam indignitatem, summamque*
iniustitiam tolerare Honorius III. quam ob rem &c. 19

Hinc igitur præfatæ querelæ contra primos illos Reges exortæ, quia cum isti vrgentibus necessitatibus, propter continuata Maurorum bella, premerentur, à quibusnam iustiùs, & faciliùs succurri, & adiuuari debebant, quam à suis subditis, & vassalis, licet Ecclesiasticis, quorum non minus defensio Regni intererat, ac totalis Maurorum extirpatio sæculares enim non solum suis bonis, sed personis etiam ad Communem defensionem concurrebant, Ecclesiastici verò, non personis, sed subsidijs tantum, quod tamen præstare obstinatè renuentes Principū iram in se concitabant: Ex quo sæpe sæpius excessus illi, de quibus apud Summos Pon-

tifices conquerebantur, inde magis ac magis necessariò augebantur. Et nihilo-
minus, his non obstantibus, præfati Reges dum viuerent, & per suam mortem in-
numera bona, etiam stabilia, Ecclesijs, & monasterijs sui Regni reliquerunt, &
non pauca à fundamentis erexerunt, & dotarunt, cum adhuc tamen Regnum es-
set pauperrimum: Et non solum liberaliter, sed etiam prodigè plurima legarunt,
vt videre poteris apud Brandonium tom. 3. & 4. Monarch. Lusit. Interim de solo
Alphonso III. sufficiat Bzouii testimonium anno 1256. num. 4. circa finem: vbi
post relationem repudii Comitillæ Matildis, sic adiecit. *Erat alioqui Alphonsus
miti, & tractabili ingenio, æqui, iustique tenacissimus, latrocinia, & maleficia, quæ ex su-
periorum temporum licentia, & Sancij Regis socordia impune grassabantur, tota Prouin-
cia sustulit, leges sanxit, iudicia constituit: Summos cum medijs, atque cum his infimam
plebem æquabili iure constrictos tenuit. Hæc domi: militiæ autem non minor virtus fuit,
eius enim armis, & auspicijs ditionis fines prolati: Farum, Algesira, Alhofeira, aliaque
Syluensi tractu oppida Mauris ablata. Extant pietatis monimenta, Vlysipone Domini-
cano Ordini præclarum cœnobium perfectum per hæc tempora, ad culmenque perductum
Scalabi Virginum Collegium S. Claræ nomine eius impensa a fundamentis extructum. Ea
in pauperes munificentia, vt, haustis sæpe thesauris, redigenda pecunia domesticam suppele-
ctilem solitus esset oppignorare.*

Ecce (Amice, seu potius Inimice) quales fuerunt Reges Lusitani, quos tu de
20 vsurpatione iurispatronatus Ecclesiarum falsò incusas. Quòd licèt à te de illis tri-
bus sufficienter probaretur (quod tamen non est, vt satis superque ostendimus)
quid modò contra Regem Ioannem post tot transacta secula inferre poteras? non
meministi illius diuini Oraculi Ezechiel. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris,
& pater non portabit iniquitatem filij, iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit
super eum*? quod non nocuit tot succedentibus Regibus, volebas, vt noceret post
quadringentos annos huic nouissimo? Non dico iam ignoranter tantum, sed
barbarè etiam argumentaris.

21 Ex præfatis, tuo sano, seu veriùs insano, iudicio concludis, quod cum testes,
qui de iure patronatus Portugalliæ deponunt, sint de veritate suspecti, & Reges
illius de manifesta vsurpatione per ipsam Sedem Apostolicam conuincti, meritò
concludat Concilium Tridentinum, non nisi per authenticas scripturas, & per præ-
sentationes confirmatas per lapsum saltem quinquaginta annorum, probandum
esse à Regibus Portugalliæ iuspatronatus prætensum.

22 Hic reassumenda est vindicatio tum testium Lusitanorum, quos tu de veritate
suspectos pronuncias, tum etiam Regum, quos de manifesta vsurpatione conui-
ctos asseueras. Do testem omni exceptione maiorem, quem licet natione Lusita-
num, affectu tamen, & obligatione Castellanum, suspicionis nota inurere non po-
teris: non enim solum maiori ex parte suæ vitæ extra Lusitaniam, quasi offensus
degit, sed ob præclara merita in Castellæ Coronam à Rege Catholico Philippo
IV. ad Episcopatum Vgentinum in Regno Neapolis nominatus, seu præsentatus
fuit, quo obtento sanctissimè vixit. Hic autem in suo tomo de iur. Eccles. lib. 3.
cap. 12. & de officio Episc. p. 1. tit. 1. cap. 3. a num. 27. vsque ad 34 latissimè pro-
bat Reges Lusitanos ex tribus illis medijs, quæ tu insipienter, & ignoranter in Do-
ctoribus Lusitanis reprobas, scilicet ex priuilegio Summorum Pontificum dato,
vel permisso: ex possessione, vel consuetudine immemorabili: ac ex iure commu-
ni: atque tandem ex ratione conuenientiæ, vt videlicet, qui eliguntur, Regni, aut
Principis inimici, vel suspecti non sint authoritatem nominandi ad Cathedrales
semper habuisse. Fundamenta, rationes, & Doctores, quos ad intentum adducit
apud ipsum locis citatis videre poteris, & etiam responsionem ad obiecta, si quæ-
libet offerantur.

Sedenim licèt præfati Doctoris adeò celeberrimi, & famigerati fundamenta
23 nulla alia indigeant confirmatione, non potui eam non adiungere: sic igitur ar-
guo. In capite. Nouit. de iudic. consuetudo æquiparatur priuilegio, ibi: *Nisi
forte iuri communi per speciale priuilegium aliquid sit detractum*. Vnde Glossa ad ver-
bum, *Consuetudinem*, Sic habet. *Nota quod consuetudo parificatur Priuilegio 9. quæ-
stione 3. cap. conquestus & 63. dist. cap. quia Sancta & 64. dist. cap. quia per ambitiones.*
Item

Item patet hic, quod consuetudo dat iurisdictionem: de arbitris. Cap. Dilecti & C. de Eman. l. 1. & vltima & 63. dist. d. Cap. Quia sancta. Sed sic est, quod Reges Lusitani, saltem in consuetudine, absque vlla contradictone, immò cum approbatione Sedis Apostolicæ semper nominarunt, seu supplicarunt pro Episcopis sui Regni, quod idem est atque præsentare, isto, vel illo verborum tenore, vt supra ostendimus: ergo si ex citatis iuribus consuetudo parificatur priuilegio, & dat iurisdictionem, non absre, vt tu falsò asseris, Doctores Lusitani firmarunt præfatos Reges ex priuilegio, vel consuetudine tolerata, nominandi facultate sui Regni Episcopos potiri. Sic loquitur Barb. de offic. Episc. loco supracitato num. 27. dicens. *In quibus* (hoc est Regibus Lusitanis de quibus supra loquebatur) *Summorum Pontificum concessione, vel consuetudo tolerata est, vel potestas nominandi Episcopos eorum Regibus data est.* Et quando omnes aliæ deessent rationes, quomodo credibile est, quod Curia Romana, quæ adeo, & meritò quidem, suam zelat iurisdictionem, per spatium centum quinquaginta annorum consensisse, seu tolerasse vsurpationem illius à Regibus Lusitanis iteratis vicibus contra ius occupatam? Vnde si præfatum Concilium non nisi per authenticas scripturas, & per præsentationes confirmatas per lapsum saltem quinquaginta annorum probandum esse à Regibus Portugalliæ prætensum iuspatronatus decernit (licet dictum Concilium, vt satis ostensum est, de iurepatronatus ad Ecclesias Cathedrales non loquatur) non tantum a quinquaginta, sed ad centum & quinquaginta annis præsentationes, seu nominationes, vel, vt tu vis, supplicationes confirmatas a diuersis Pontificibus esse, ex actis Consistorij, à quibus tu ex Sacra Rota, & alijs Doctoribus petendas esse asseueras, tibi ex sequentibus ostendam.

Gloriantèr iactaris, quod Sacri Consistorij Tabularium aperuisti, ex quo non 24
nullas Episcopatuum Lusitaniæ prouisiones, non ad præsentationem, sed ad supplicationem tantum factas eruisti. Ego verò qui licet Princeps non tamen se iactantium, & gloriantium, sed prudentium, vt tu fateris, sum, tuam imprudentiam, seu potius ignorantiam non possum non mirari, quippequi aperiens præfatum Tabularium non vidisti, quod ex ipso met te reconuincere poteram, vt statim præstabo, sed absque dubio imprudenter, ignoranterque tibi persuasisti, clauem, qua illud aperueras nulli alij consignandam vnquam fore. Deceptus es: sed priusquam ignorantiam tuam omnibus legentibus palam faciam, repetere opportet, quod iam supra tetigi, videlicet præsentationem nihil aliud esse, quam exhibitionem personæ factam legitimè Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, Vnde licèt aliquando fiat nominando personam, aliquando verò pro ea supplicando, non proindè desinit esse præsentatio, quamuis enim diuersis verbis fiat, cum eundem sortiatur effectum, qui est collatio, seu institutio illius personæ, pro qua fuit supplicatum, vel quæ fuit nominata, in re idem esse verificatur. Vnde si differentia aliqua est inter nominationem, & supplicationem quæstio omninò est de nomine, & non de re: & ideo tum Pontifices, tum etiam Reges ipsi absque vlla differentia tam in confirmatione illi, quàm isti in præsentatione diuersis verbis in diuersis occasionibus vsi sunt, etiam ipsi Reges Catholici, postquam Lusitanum Regnum compararunt, & Pontifices illius temporis. 25

Quod vt exemplis etiam à te adductis illustretur, Tabularium Sacri Consistorij iam aperire opportet. De primo igitur tuo exemplo, scilicèt de Paulo III. qui, vt tu dicis, Ecclesiæ Bragarēsi absque vlla Regis præsentatione præfecit Episcopum, nihil ex Sacro Tabulario constat; vnde exemplum suppositum omninò videtur ex triplici capite. Primo, quia nulla est Ecclesia Bragarensis in Lusitania. Secundo, quia si Brachatensem inuenisti, & dicas mendum fuisse Amanuensis, dicere debebas Archiepiscopum, non verò Episcopum, quia Brachara à pluribus seculis Sedes est Archiepiscopalis, immò & Primas; & non est credibile, quod in Sacro Tabulario diceretur Paulum III. præfecisse Episcopum, sed Archiepiscopum. Tertio, quia non exprimis nomen talis Episcopi, vt facis in alijs exemplis a te adductis. Vnde absque dubio ob similitudinem vocabuli debuisti putare Tabularium de Bracharensi loqui, cum loqueretur de alia Ecclesia Bragarensi, quæ tamen nulla est in Lusitania, nisi fortè tua solita malignitate ex industria nomen æquiuocasti.

Tuum

Tuum secundum exemplum est de Ecclesia Syluensi, postea Faronensi, qui mutata fuit Sedes Episcopalis ob aeris intemperiem ad ciuitatem Faronensem. Ad hanc, vt tu asseris, admissus fuit ab eodem Pontifice quidam Ioannes de Bararcos ad supplicationem Regis Ioannis anno 1549. Videamus igitur, an tempore Philippi II. III. & IV. simili modo prouisa sit dicta Ecclesia. Anno igitur 1581. ad supplicationem Regis Philippi II. prouisus fuit D. Alphonsus à Castello branco. Anno 1589. ad supplicationem eiusdem D. Franciscus. Anno 1594. ad supplicationem eiusdem D. Ferdinandus Martinus Mascaregnas. Anno 1627. ad præsentationem Philippi IV. D. Franciscus Menesius. Anno 1636. ad nominationem eiusdem D. Franciscus Barreto. Ecce, Amice, iam vides quod in eadem Ecclesia tempore Regum Catholicorum prouisi fuerunt absque vlla differētia tres ad supplicationem, vnus ad præsentationem, alter ad nominationem. Vnde euidenter colligitur, quòd nec Summi Pontifices, nec ipsi Reges de modo loquendi in personis proponendis, seu exhibendis curauerint, sed tantummodò de obtinenda ab istis, & confirmanda ab illis præsentatione, seu exhibitione.

27 Tertium, quod offers exemplum, est Ecclesiæ Lamecensis, cui Iulius Pontifex anno 1551. præfecit *D.* Emmanuelem ad supplicationem Regiam. Anno autem 1570. eadem Ecclesia attributa fuit *D.* Emmanueli de Meneses ad eandem supplicationem. Iterum anno 1579. data fuit cuidam *D.* Simoni ad supplicationem Regis Henrici: attamen in hoc exemplo toto cælo aberrasti, quia tunc dicta Ecclesia non fuit commissa Simoni, sed Antonio. His tuis prouisionibus addimus eas, quas ex Tabulario eruere curauimùs, videlicet anno 1599. ad supplicationem Regis Catholici prouisus fuit D. Martinus. Item anno 1613. ad nominationem Philippi III. alius D. Martinus. Item anno 1627. ad præsentationem Regis Catholici, vti Portugalliæ, D. Ioannes: pondera clausulam illam, *vti Regis Portugalliæ*, non enim, vt infra monstrabo, Reges Catholici in istis nominationibus, seù supplicationibus vtebantur priuilegio Carolo V. concesso.

28 Quartum est Ecclesiæ Portugallensis, quæ anno 1553. concessa fuit Roderico Pigneiro ad supplicationem Regiam, & anno 1581. ad supplicationem Philippi II. concessa fuit cuidam D. Marco. Anno autem 1592. ad supplicationem eiusdem Philippi data fuit D. Hieronimo. Deinde anno 1602. ad supplicationem Philippi III. fuit prouisus D. Gondisaluus. Deinde anno 1618. ad nominationem eiusdem Philippi, vti Regis Portugalliæ, data fuit D. Roderico de Acugna. Et anno 1627. ad præsentationē Regis Catholici, vti Portugalliæ, cōcessa fuit *D.* Ioanni.

29 Quintum exemplum est Ecclesiæ S. Thomæ, quæ anno 1544. concessa fuit *D.* Augustino Gaspar ad supplicationem Regiam. Adde, quod anno 1578 ad præsentationem Regis Henrici data fuit D. Martino. Et anno 1615. ad præsentationem Philippi III. vti Portugalliæ, præfectus fuit D. Petrus à S. Augustino.

30 Sextum est Ecclesiæ Vlysiponensis, quæ anno 1569. data fuit D. Georgio de Almeida ad supplicationem Regis Sebastiani. Adde, quod anno 1586. eadem Ecclesia concessa fuit *D.* Michaeli à Castro ad supplicationem Philippi II. Et anno 1626. D. Alphōso Furtado de Mēdōca ad præsētationē Philippi IV. vti Portugalliæ.

31 Septimum est Ecclesiæ Elborensis, quæ anno 1588. non Theodosio, vt tu dicis, sed Theotonio de Braganza ad supplicationem Sebastiani. Adde, quod anno 1602. concessa fuit Alexandro ad nominationem Philippi III. & erectio facta fuit anno 1540. cum reseruatione iurispatronatus pro Rege.

32 Octauum est Ecclesiæ Conimbricensis, quam anno 1579. obtinuit *D.* Gaspar Casalius ad supplicationem Regiam. Adde, quod anno 1585. eandem Ecclesiam obtinuit D. Alphonsus à Castellobranco ad supplicationem Philippi II. & anno 1616. eandem obtinuit D. Alphonsus Furtadus ad præsentationem Philippi III. & anno 1619. *D.* Martinus Alphonsus Mexia ad supplicationem eiusdem Philippi.

33 Nonum, & vltimum exemplum est Ecclesiæ Mirandensis, quam à Gregorio XIII. obtinuisse asseris ad supplicationem Regis Henrici die 2. Decembris absque expressione anni. Cumque Henricus per annum, & quinque menses tantum regnasset, mortuusque esset die vltima Ianuarij anni 1580. & inueniamus in Tabulario Sacri Consistorij in eadem Ecclesia ad supplicationem Regis (qui tunc temporis

erat

erat præfatus Henricus) prouisum fuisse D. Hieronymum, bene deducitur, quod vel dictus Antonius non fuit prouisus ad supplicationem Henrici, vel quod exemplum sit omninò falsum. Attamen, vtcunque sit, adde, quod in eadem Ecclesia prouisus fuit D. Emmanuel anno 1593. ad nominationem Philippi II. & anno 1515. ad nominationem Philippi III. D. Ioannes. 34

Præter præfata tua exempla, omissisque omnibus Ecclesijs vltramarinis, in quarum erectione fit expressa mentio de reseruatione iurispatronatus pro Regibus, quemadmodum in alijs ipsius Regni Lusitani, si quidem te iactas, quod potestatem habeas Tabularium Sacri Consistorij aperiendi: aperi (quæso) illud, & reperies in omnibus prouisionibus dictarum Ecclesiarum, tum tempore Lusitanorum Regum, tum Catholicorum, indifferenter appositas clausulas illas ad præsentationem, ad nominationem, & ad supplicationem: quod sanè non esset si aliqua substantialis differentia inter eas fuisset, tum ex parte Pontificum, tum ex parte Regum: Ex illis, quia non confirmarent Episcopos cum clausula præsentationis, seu nominationis, si non haberent, nisi authoritatem supplicandi. Ex his quia non acceptarent præfatas prouisiones cum clausula supplicandi, si haberent potestatem nominandi seu præsentandi. Vnde euidenter conuincitur controuersiam, si qua est, de nomine tantum esse, non vero in re, vt supra iam bis ostendi. Sicque concludendum omninò est, omnia tua exempla extra lineam, & ineptè fuisse adducta absque vlla necessitate.

Ad hæc inutila & indiscreta exempla alia Eminentissimorum Cardinalium ponentium (quæ sane a nescio quo non minus te audace, & inscio emendicasti) addidisti. Primum est de Ecclesia Vlysiponensi, quam dicis proposuisse D. Cardinalem S. Sixti sub Gregorio XIII. Non bene transcripsisti exemplum quod à præfato authore emendicasti, ille enim in sua Apologia seu Discursu de Ecclesia Portugallensi loquitur, quæ data fuit cuidam D. Marco à Gregorio XIII. anno 1581. ad supplicationem Philippi II. qui tunc temporis iam regnabat in Lusitania, & non ad supplicationem alicuius Regis Lusitani. Et quod istam Ecclesiam proposuisset D. Cardinalis S. Sixti, non autem Vlysiponensem, vt tu falsò affirmas, euidenter conuincitur: quia D. Georgius de Almeida per te in tuo sexto exemplo præfectus fuit Ecclesiæ Vlysiponensi ad supplicationem Regis Sebastiani, & vixit vsque ad annum 1586. in quo fuit subrogatus D. Michael à Castro ad supplicationem Philippi II. & anno antecedenti 1585. die decima Aprilis obijt Gregorius, quomodo ergo tempore illius poterat Cardinalis S. Sixti Ecclesiam Vlysiponensem proponere? Duo igitur mendacia in hoc tuo exemplo reperiuntur, vnum scilicet, quod dicta propositio facta sit ad supplicationem alicuius Regis Lusitani, cum euidenter constet factam esse ad supplicationem Philippi II. alterum est, quod fuerit facta tempore Gregorij XIII. cum constet, quod anno 1586. iam Sixtus V. Ecclesiam regebat. 35

Secundum exemplum est Cardinalis Farnesij, qui, vt tu falsò dicis sub eodem Gregorio XIII. Ecclesias vnitas Septensem, & Tingensem proposuit: istud etiam non bene a præasserto Anonymo transcripsisti, quia ipse expresse dicit, factam fuisse dictam propositionem a præfato Cardinali Farnesio sub Sixto V. non verò sub Gregorio; & benequidem dicit, quia dicta propositio facta fuit die 25. Iulij anni 1585. tribus mensibus post obitum Gregorij. Et non fuit facta ad supplicationem, sed ad præsentationem pro D. Didaco. Quæ etiam anno 1598. fuit data D. Hectori ad nominationem Regis Catholici, vti Portugalliæ. Atque anno 1601. fuit etiam attributa D. Hieronimo ad supplicationē Philippi III. vnde patet dictas prouisiones factas fuisse tempore Regum Catholicorum. 36

Tertium est de Ecclesia Bracharensi transcriptum etiam ex præfato Anonymo, saltem ex parte est similiter falsum, quia tunc temporis non agebatur de prouisione dictæ Ecclesiæ, sed de acceptanda renunciatione D. Bartholomei de Martyribus, qui cum esset vir tam notæ virtutis, nihil aliud pro suis alimentis reseruauit, nisi centum & quinquaginta ducatos annuæ pensionis, & Rex voluit, quod essent mille, & ideo Pontifex nollebat confirmare dictam pensionem, quippe quæ esset contra mentem renunciantis. Vnde benè respondit Cardinalis Farnesius, quia 37

Rex supplicabat. Præter quam quod præfata renunciatio, & prouisio factæ fuerunt anno 1581. die 6. Nouembris, quando Philippus II. iam erat impacifica Regni Lusitani possessione, ac proinde nihil ad tuum intétum euincere potes, quia si dicta pensio concessa fuit ad supplicationem tantum, vt tu, & Anonymus dicitis, non tamen alicuius Regis Lusitani, sed Castellani, vt erat Philippi II. qui tunc temporis in Lusitania imperabat. Ex præfatis exemplis iam cauillatione, iam falsitate a te adductis quæris an illis suppositis, dicãt nè Lusitani cum suo Cabedo, præsumendũ esse Reges Lusitanos habuisse iuspræsentãdi ex priuilegio Apostolico.

38 Iam tibi respondi Cabedo non dixisse præsumendum, sed credendum esse, discrimenque tetigi inter præsumere, & credere: rationésque adduxi, propter quas ita sit credendum. Et ideo illis ommissis illa fortissima videtur (quam iam supra tetigi) & vt talis omnem absorbet dubitandi rationem; nimirum quia si ita non esset, nullo modo permitterent Summi Pontifices per tot annos adeo continuatam nominationem, seu supplicationem Regum Lusitanorum, ita vt iam transiret in consuetudinem; quæ, vt supra probaui, æquiparatur priuilegio. Addis præterea adulteratam Concilij authoritatem, & Rotæ decisionem; quæ omnia iam falsa omninò supra ostendi. Quibus adiungere possumus eiusdem Concilij verba sess. 24. de reform. cap. 1. quæ sic habent: *Omnes verò & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque ius quacunque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in ijs pro præsenti temporum ratione innouando.* Ex quibus euidenter constat, quod Concilium non solum decernit permanere firmum quodcunque priuilegium à Sede Apostolica concessum, sed etiam quamcunque consuetudinem cum consuetudo æquiparetur priuilegio. Sicque non est opus, vt probetur priuilegium tanquam quid facti, cum probata sit consuetudo: neque contra eam aliquid euincunt exempla à te adducta, immò ex vero Tabulario Sacri Consistorij, & exemplis ex eo à nobis erutis contrarium omninò conuincitur.

39 Iterum, vt canis ad vomitum redis prætendens impugnare rationem Acugna quia possessio immemorabilis, in qua ipse fundat iuspræsentandi Regum Lusitanorum talem dici non posse asseueras; tam eius initium ab Alphonso V. cæpisse affirmemus, quod tamen, vt supra probaui, nihil concludit, quia possessio centum annorum immemorabilis dicitur apud omnes: vnde semper prædicta ratio firma, stabilisque manet, nec contra illam aliquid potest opponi.

40 Reprobas tandem illud tertium medium, ex quo Doctores Lusitani iuspræsentãdi ad Ecclesias Cathedrales suis Regibus competere asserunt, eo quia è manibus infidelium eas eruerunt, fundarunt, & dotarunt. Prima ratio tuæ reprobationis in eo consistit, quòd deberent prædictas fundationes, & dotationes per scripturas authenticas probari iuxta decretum Concilij loco supracitato. Quid tibi mali fecit Concilium, vt addendo, vel minuendo illi imponas, quod non dixit? In primis, vt iam te monui, & ostendi Concilium loco citato non loquitur de Cathedralibus, immò de illis aliter disponit. Deindè quando agit de Parrochialibus, & alijs beneficijs minoribus sic decernit. *Vt titulus iurispatronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui authentico documento & alijs iure requisitis ostendatur: siue etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat.* Et infra. *Præsentationes etiam continuatæ non minus saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortita sint, authenticis scripturis probentur.* Vnde etiam loquendo de Parrochialibus, falsum dicis, quia Concilium non decernit, quod titulus iurispatronatus sit ex fundatione, & dotatione simul, sed ex vna, vel altera disiunctiuè: immò addit. *Siue ex multiplicatis præsentationibus &c.* & quod præfatæ præsentationes sint continuatæ spatio quinquaginta annorum & authenticis scripturis probatæ.

41 Cumque constet, quod Ecclesiæ Cathedrales Lusitaniæ sint fundatæ, vel dotatæ ab illis Regibus, & eas à faucibus hostium eruerunt, vt satis probat Barbosa de offic. Episc. p. 1. tit. 1. cap. 3. num. 29. & sequentibus: & similiter, quod per antiquissimum temporis cursum semper præsentarunt, istis, vel illis verbis, quod nihil officit, cum, vt supra ostendi, dici debeat quæstio de nomine, nihil contra substantiam addens, vel demens, & illorum præsentationes non solum fuerunt

conti-

continuatæ, effectumque sortitæ sunt per quinquaginta tantum annos, sed etiam per centum & quinquaginta, vel amplius, vt patet ex Sacri Consistorij Tabulario, quo nihil magis authenticum, quis dubitare poterit de authoritate prædictorum Regum, nisi solus homo, aut iuris, & historiæ omninò ignarus, aut sua passione amens? Præsertim cum in noua erectione Ecclesiarum fiat expressa mentio de reseruatione iurispatronatus pro Rege, vt constat ex ipso met præfato Tabulario. Sic de Ecclesia Elborensi, quando anno 1540. de Episcopatu facta fuit Archiepiscopatus. Sic de Ecclesijs Eluensi anno 1570. Malacanensi anno 1588. Goanensi eodem anno: Cochinensi eodem similiter anno. Machaonensi anno 1576. Sancti Saluatoris anno 1596. Funchalensi anno 1588. Leiriensi anno 1545. & sic de alijs quæ ibidem videre poteris. Facit etiam pro Regibus Lusitanis stylus proponendi Ecclesias in Sacro Consistorio à Cardinalibus Protectoribus Portugalliæ, quia si præfati Reges non haberent iuspatronatus dictarum Ecclesiarum non proponerentur à Protectoribus, sed per turnum ab omnibus Cardinalibus qui adessent, vt patet ex stylo, qui seruatur in proponendis Ecclesijs Neapolitanis, quæ non sunt de præsentatione Regis.

Adducis deinde exemplum Ecclesiæ Maioricanæ, quam dicis Iacobum Aragonium de Maurorum manibus eripuisse fundasse, & dotasse, & nihilominus Gregorius IX. per Sedem Apostolicam dictam Ecclesiam prouidendam censuit, cum commisit B. Raymundo de Pegnafort, vt de Pastore eam prouideret. Semper, vt te sæpius monui, in tuis exemplis, & authoritatibus adducendis, aut aperta falsitate, aut saltem amphibologia vteris. Audi igitur quid Bzouius de hoc Regis Aragonij exemplo dicat. *Eodem anno* (erat 1230.) *Gregorius Pontifex Iacobo Aragonum Regi pollicitus est Ecclesiam Cathedralem in Insula Maiorica recens à Mauris per eum recepta, erigere, & Episcopum præficere, si modo is dotem necessariam Ecclesiæ assignaret.* Ex his verbis constat primò quod præfatus Rex Ecclesiam aliquam de Maurorum manibus non eripuerit, vt tu falsò dicis, sed Insulam ipsam, in qua Ecclesiam erigere, seu fundare voluit, quod Pontifex benignè annuit, ea tamen conditione, vt dotem necessariam Ecclesiæ assignaret. Assignata tandem anno 1237. opus erat Episcopum præficere, attamen cum tunc temporis capitula suum Episcopum eligere solerent, & in præfata Ecclesia antequam erigeretur, & Episcopus crearetur, non poterat esse Capitulum, Pontifex absque villa Regis offensione B. Raymundo, vti Ministro Apostolico electionem illius primi Episcopi commisit, supplens illud, quod faciendum erat à Capitulo, quia non dum erat creatum, non verò præsentationem Regis, quæ tunc temporis adhuc non vigebat. 42

Ex dictis patet etiam responsum ad exemplum Ferdinandi Regis Castellæ: Gregorius enim Pontifex non commisit Archiepiscopo Toletano prouisiones Ecclesiarum, vt tu solita falsitate asseris; sed confirmauit decretum Concilij Toletani 12. cap. 6. de quo agitur in cap. cum longe dist. 63. vbi decernitur, quod Episcopus Toletanus habeat potestatem confirmandi, & ordinandi Episcopos, quos Regis potestas eligat, propter rationes in dicto capite relatas, & à nobis in responsione ad tuum primum dubium satis superque discussas, & explicatas. 43

Addis præterea, quod omnes penè Ecclesiæ Hispaniarum redemptæ, & constructæ fuerunt ab eorum Regibus, vt testantur Barb. Bossius, & Valdensis locis a te citatis, licet ex parte mendosè: & tamen non nisi Carolo V. fuisse concessum ab Hadriano VI. & alijs Pontificibus indultum Apostolicum, vt præsentarent ad omnes Hispaniarum Ecclesias, pro quibus antea supplicabant. Iterum repetis, quod iam sæpe falsum esse ostendimus, nimirum differentiam esse realem inter præsentare, & supplicare, cum tamen nulla alia sit, nisi in modo loquendi, vt manifestè patet ex prouisionibus tempore trium Philipporum factis aliquando ad supplicationem, quandoquè ad præsentationem, seu nominationem, etiam post indultum Hadriani, & aliorum Pontificum. Quod non ita esset, si differentia alliqua inter præsentare, nominare, & supplicare interueniret. Et siquidem tu approbas authoritatem Barbosæ, Bossij, & Valdensis, circa fundationes Ecclesiarum Hispaniæ ab illis Regibus factas, cum illi ex eis probent potestatem præsentandi, quam etiam extendunt ad Reges Lusitanos, cur ipsis non assentiris in secundo, si eos admittis 44

mittis in primo? Non valet consequentia. Pontifex concessit Regibus Hispaniæ potestatem præsentandi, ergo non illam habebant ex iure communi, propter fundationes, vel dotationes, aut ex possessione immemorabili, vel ex permissione, seu consuetudine: poterant enim illam habere ex præfatis tribus Capitibus, & nihilominus tamen velle Pontifices eandem speciali priuilegio ex benignitate Apostolica illis concedere, seu confirmare.

45 Deinde transis ad ius præsentandi Regum Galliæ, dicens, quod Doctores non illud referunt ad redemptionem, seu fundationem Ecclesiarum ab infidelibus ereptarum, sed ad indultum Apostolicum, seu, vt communiter dicitur, concordatam. Quidquid tamen de hoc sit, non valet consequentia, ergo etiam Reges Lusitani non possunt illud ius hebere propter fundationes &c. Sit absit indultum Apostolicum: quia hoc esset ipsum ius commune destruere contrarium omninò disponens, scilicet, quod tribus de causis adquiratur ius patronatus. Prima est Ecclesiæ alicuius fundatio, siue quis eam in proprio solo suis sumptibus omninò construat, siue etiam solum, seu fundum ad eam ædificandam tantummodò donauerit. Secunda est ipsa sola constructio, sine fundi proprij assignatione, videlicet si in solo ab alijs dato ipse proprijs sumptibus Ecclesiam construxerit. Tertia est dotis, siue certi redditus assignatio Ecclesiæ facta. Ita Tridene sess. 14. de reform. cap. 12. & sess. 25. cap. 9. quod probat Barb. de iur. Eccles. lib. 3. cap. 12. num. 28. & de offic. Episc. p. 1. tit. 1. num. 29. quam plurimos citans Doctores, quos ibidem videre poteris. Vnde inutile, & extra rem tuum exemplum de Regibus Galliæ ad intentum tuum probandum venit. Non minus inutile est exemplum Regum Poloniæ, quod a Barbosa emendicasti, tacens semper Lusitanos Reges, de quibus ille expressam facit mentionem propter easdem rationes.

46 Denique recurris ad id, cui iam respondi, videlicet, quod plures Ecclesias è manibus infidelium redemerunt, & fundarunt Lusitani Reges, & tamen Alphonsus V. fuit primus, qui habuit iuspatronatus, seu potestatem præsentandi ad Ecclesias Cathedrales: Ex quo infers non sufficere ad ius præsentandi acquirendum fundasse, & dotasse Ecclesias, nisi accedat speciale, Sedis Apostolicæ indultum.

47 Hæc illatio, vt iam dixi, est expressè contra ius commune, & Decretum Concilij supracitatum, vbi post abrogationem aliquorum iurium patronatus expressè excipit patronatum, seu ius præsentandi ad Ecclesias Cathedrales, & etiam illa, quæ ad Imperatorem, & Reges, seu Regna possidentes, aliosque supremos Principes iura Imperij in dominijs suis habentes, pertinent: non ne legisti verba Barbosæ supracitato num. 29.? *Ex generali (inquit) iuris communis concessione, qua construentibus, aut dotantibus Ecclesias conceditur potestas præsentandi ad easdem, videtur hoc ius Principibus Hispaniæ, & Lusitaniæ competere, vt voluit Archidiac. in cap. Electio. 12. dist. & post. Bald. & alios Palat. in introd. rubr. de donat. inter virum & vxorem num.* 24. & plures alij, quos ibidem videre poteris.

48 Addis præterea ad illud, quod semel, & iterum reprobatum est, quod Tabularij Consistorialis authoritas conuincit, nunquam scilicet Regibus Lusitanis concessum fuisse indultum Apostolicum: cum tibi ostenderim ex ipso met Tabulario plures Ecclesias fuisse erectas cum expressa reseruatione iurispatronatus pro Regibus. Sed demus etiam, quod præfati Reges Lusitani dictam reseruationem expressè non fecerint; Ausculta, quid in hoc casu decernat Rota 2. p. tom. 2. decis. recent. in vna Mediol. iurispatr. 3. Aprilis 1615. coram Pirouano. *Eo ipso, quod quis costruit beneficium cum authoritate Ordinarij, nullum dubium est, quod acquirit iuspatronatus in illo, etiam quod expressè sibi non reseruauerit iuspatronatus, vt affirmant Ioan. Andr. Cardin. Butr. & alij per Felin. relati in cap. Significauit num. 2. de test. Rota decis. 5. de iur. patr. in antiquis reprobata opinione Lamberti eodem tit. lib. 1. p. 1. q. 2. art. 4. num. 14. Rota decis. 167. num. 4. p. 2. diuersorum & sæpe in alijs causis Rota secuta est hanc opinionem. Et in pracitata decisione 167. num 2. sic decernit. Est receptissima conclusio, vt fundans, Construens, vel dotans Ecclesiam acquirat iuspatronatus, etiam si illud non reseruauerit, dummodo expressè illud non remiserit. Ioan. Andr. Cardin. Butr. Bald. Imola Abbas Aretin. Felin.* & plures alii, quos ibidem videre poteris. Sed sic est, quod Reges Lusitani fundarunt, construxerunt, vel dotarunt omnes

nes penè Ecclesias suorum Regnorum, vt est notum, & probat Barbosa de offic.
Episc. p. 1. tit. 1. cap. 3. num. 34. & Bossius de signis Ecclesiæ supracitatus, & il-
las erexerunt authoritate ordinarij, idest Summorum Pontificum, sine qua nulla
Ecclesia Cathedralis erigi potest, & cum expressa reseruatione iurispatronatus
pro se in aliquibus, in reliquis verò absque expressa remissione, seu renunciatio-
ne prædicti iuris: Ergo quis negare potest præfatum indultum Apostolicum illis
fuisse concessum, siue permissum? præsertim cum iuspatronatus ex priuilegio Apo-
stolico præsumatur fundatum, quando vltra temporis antiquitatem concurrerit
obseruantia præsentationum. Rota decis. 53. num. 2. p. recent. Vndè cum ne-
gare non possis, immò fateris a tempore Alphonsi V, quod centum, & quinqua-
ginta annos, seu amplius excedit, cum obseruantia præsentationum, seu nomina-
tionum Reges Lusitanos semper præsentasse, vel nominasse, quare non te pudet af-
firmare tale indultum præfatis Regibus non fuisse concessum, vel saltē per missū?
Vt nullum non motum relinquas lapidem, ad tuum contra Lusitanos euomen- 49
dum venenum, ad aliam dementiam recurris: non negans iam Lusitanos Reges
fundasse, & dotasse Ecclesias, sed hoc non gratis fecisse, & voluntariè affirmans,
sed ex iustitia, & Sedis Apostolicæ compensatione, quæ hoc onere illis concessit
posse infideles suis terris, & prouincijs expoliare, & etiam pro illis expugnandis
decimarum Ecclesiasticarum subsidia contulerunt. Quis tibi hanc contentionem
inter Pontifices, & Lusitanos Reges reuelauit? Quis nam Pontifex illud onus
eis imposuisse tibi affirmauit? Si ignorabas illius temporis rerum statum quid de
illis agere intentasti, quæ omninò nesciebas? Super vna veritate, videlicet, quod
nullus Princeps sine Apostolicæ Sedis venia (vt tu dicis, seu magis latinè, faculta-
tate) possit expoliare infideles suis terris, fundas duo mendacia, vnum scilicet,
quod Reges Lusitani infideles suis terris expoliarunt; alterum, quod Pontifices
pro illis expugnandis decimarum subsidia concesserunt. Ausculta historiæ veri-
tatem, & videbis tuam ignorantiam, si non sis de eis, qui oculos habent, & non
vident, aures habent, & non audiunt.
Lusitania, quemadmodum & cætera Hispaniæ Regna Gotorum Regum domi- 50
nio olim subiacebat. Venerunt ex Africa Mahometani contra vniuersam Hispa-
niam, & vniuersa illa Regna armis suis contra omne ius subiugarunt. Tunc illi
pauci habitatores, qui ex præfata clade, & euersione remanserunt, paulatim (Deo
adiuuante) multorum annorum cursu sua Regna, & terras recuperarunt, perfidis
hostibus partim occisis, partim ve fugatis, seu inseruitutem redactis. Hac sup-
posita historiæ veritate, dicas mihi ingenuè, ad quid venia, vt tu malus gramati-
cus asseris, seu propriè licentia, vel facultas Apostolicæ Sedis illis nationalibus
necessaria erat ad recuperandum, quod suum fuerat, & a quo iniustè, ac tyranni-
cè fuerunt expoliati. Adhuc post tot studij annos regulam iuris, quod licet vim
vi repellere, ignorabas? nesciebas (vir Theologiam professus) quod potest quili-
bet quod suum est, è manibus latronis etiam per vim eripere, si aliter illud obti-
nere non valet? Quomodo ergo Lusitani non poterant sine Sedis Apostolicæ fa-
cultate Mauros è Lusitania expellere, suasque terras recuperare? Addisce, Amice,
addisce, iterum precor, antequam tales excites quæstiones.
Si autem confugere velis ad expugnationes Indiæ Orientalis, Africæ, & Ameri- 51
cæ, non minus te latuit historiæ veritas, putasti enim absque dubio, quod Lusita-
ni præfatas expugnationes intentarunt, quemadmodum illæ Occidentalium In-
diarum intentatæ fuerunt, ad occidendos illos miseros Indos, eos bonis, & vita
exquisitissimis priuantes tormentis: sed falleris, per lege inter cæteros Ioannem
Maffeum Authorem Italum, ac proinde non suspectum, virum religiosum, proba-
tæque virtutis, & scies quia Lusitani non deprædandi causa, non occidendi, non
destruendi, non Principes suis statibus priuandi sed fidei Catholicæ prædicandæ,
infideles ad gremium Ecclesiæ reducendi, tot maria nauigarunt, tot periculis se
exposuerūt, tot expēsas, fecrūte, torque labores sunt perpessi. Adhūc autē tam Sā-
ctum consequendum finem, amicitiam, ac fraternitatem infidelium Principum
procurarunt, illisque reciprocum comertium, vt faciliùs allicerentur, obtulerunt,
Ciuitates verò, & Arces, quas postea obtinuerunt, non fuerunt ablatæ, seu ereptæ
G
illis

illis nationibus, sed suis sumptibus fabricatæ. Cumque per multarum leucarum spatium dilatarenrur opus erat, vt tum ipsi, tum noui fideles ad fidem conuersi Pastores haberent, à quibus spiritualiter pascerentur: & ideo à Summis Pontificibus obtinuerunt, vt Ecclesiæ Cathedrales in ipsis terris erigerentur, quas Reges, non solum construxerunt; sed etiam ipsis Pastoribus, seu Episcopis annuam pensionem sufficientem ad suam sustentationem consignarunt: immo & omnibus Monasterijs religiosorum, iuxta ipsorum numerum similes pensiones statuerunt, quæ Lusitana lingua Ordinariæ appellantur: & ideo Summi Pontifices decimarum subsidia contulerunt, non expacto, seu conuentione, vt tu dicis, quod Cathedrales fundassent, & Ordinatio ad Romanum Pontificem pertineret; quia hoc semper seruandum erat cum reseruatione tamen iurispatronatus, vt videre poteris apud Tabularium Sacri Consistorij, quod te iactas aperuisse.

52 Tua præfata mendacia duobus exemplis confirmare niteris, vno scilicet, Gregorij IX. cum Ferdinando Lusitano, cui, vt tu dicis, præfatus Pontifex inuadendi terras Agarenorum copiam fecit, ea tamen lege, vt in illis Cathedrales erigeret à Sede Apostolica ordinandas. In duobus peccat hoc exemplum, de falsitateque conuincitur: Primo quia in Lusitania non regnauit nisi vnicus Ferdinandus: hic autem nullum bellum mouit contra Agarenos, non in Regno, quia tunc temporis iam omnes à plurimis annis erant expulsi: non extra, quia primus ex Regibus Lusitanis, qui bellum intulit Agarenis fuit Ioannes I. successor Ferdinandi, vnde nonpoterat iste postulare à Gregorio talem facultatem, maximè, quia præfati Pontifex, & Rex diuersissimis temporibus regnarunt, ille videlicet ab anno 1227. vsque ad annum 1241. iste verò ab anno 1367. vsque ad annum 1383. Quid dicis ad hoc? Proterua sanè est tua impudentia tam frequenter conuicta; sed demus, quod præfati Pontifex, & Rex eodem tempore simul concurrerent, quomodo poterat ille ea lege licentiam præfatam huic concedere, cum illis temporibus electiones Episcoporum ad Capitula Cathedralium pertinerent, & non nisi à Benedicto XII. Sedi Apostolicæ fuerunt reseruatæ, vt supra aduertimus. Tandem, vt mendacium tuum omnibus innotescat, sciendum est illum Ferdinandum quem tu dicis concurrisse cum Gregorio IX. non fuisse Regem Lusitaniæ, vt tu mendaciter supponis, sed fratrem Regis: hic autem propter nonnulla scelera atrociter commissa anathemate percussus fuerat à præfato Pontifice Gregorio: attamen ad meliorem frugem redactus à Pontifice postulauit, vt sibi salutarem imponeret pœnitentiam: quam quidem Pontifex illi imposuit, & inter cætera, vt contra Mauros infestantes Regnum Aragonium per tres annos in manu forti pro modo suarum virium præliaret, illosque expugnare procurasset, maximè in frontaria Regni Portugalliæ: ita Odoricus Raynaldus tom. 13. anno 1239. num. 63.

53 Alterum exemplum est Benedicti XII. qui Regi Alphonso terras Maurorum concessit capessendas eisdem oneribus. Cumque huius nominis quinque in Lusitania regnassent, & tu non exprimas dequo loquaris, necesse est videre, quis nam ex istis cum prælato Benedicto concurrerit. Non primus, non secundus, non tertius, quia omnes isti tres per plurimos annos ante Benedictum regnarunt: non quintus, licet enim in Africam contra Sarracenos transfretaret, hoc fuit anno 1458. Benedictus autem anno 1342. desijt esse inter viuos. Restat igitur solus Alphonsus IV. qui absque dubio concurrit cum Benedicto, sed quæ bella dictus Alphonsus cum Agarenis capesseret, non constat: immò verissimum est, quod nulla cum illis habuisset; Constat tamen quod in auxilium Alphonsi Regis Castellæ sui generi copiosum duxerit exercitum contra Sarracenos, Bethicos, & Africanos, quibus victis, *E tanta preda* (inquit Vasconcellius in Alphonsum IV.) *libentissimè a genere oblata reliquum fecit præter vnam Numinis gloriam, ad quam solitus erat, veluti ad scoptum collimare*. Cum ergò dictus Alphonsus nullas Agarenorum terras inuaderet, quomodo præfatam licentiam à Benedicto postulauit, & iste præfatis oneribus eam ipsi concessit?

54 Si verò præfatam supplicationem factam à prædicto Rege dicto Benedicto XII. post partam victoriam a Sarracenis intelligis, quandò scilicet fuit in auxilium Alphonsi sui generi, cur taces, quod Pontifex non concessit Lusitano, vt terras Sarraceno-

racenorum inuaderet ea conditione & pacto, vt Ecclesias ædificaret, & in compen-
sationem illi decimas Ecclesiasticas attribueret: sed tantummodo pro expẽsis iam
factis in auxilium Regis Castellæ, & si opus esset, faciendis, biennales tantum de-
cimas concessit illi. Hoc est quod refert Odoricus anno 1341. num. 4. & 5. asse-
rens dictam concessionem biennalium decimarum factam fuisse dicto Regi certis
conditionibus, inter quas vna erat de erigendis Ecclesijs in locis a Sarracenis ere-
ptis, nihil tamen de Cathedralibus agens, minusque de earum prouisionibus.

Ex his, & superioribus mendacijs epilogo concludis nullum remanere Lusita- 55
nis confugium pro suorum Regum iurepatronatus propugnando: quia nulla præ-
sumptio priuilegij, sed solum vsurpationis ex Concilio: nulla immemorabilis pos-
sessio ex Tabulario Consistoriali conuincitur: nullum denique ius commune ex
Pontificum testimonijs. Ad quæ deliria iam satis superque (licet responsione in-
digna) respondimus, immò & eadem falsitatis, ac dementiæ conuicimus.

Parce mihi, Amice, non enim possum à tanto mendaciorum cumulo, quot in 56
hac tua Apologetica Epistola congessisti te liberare. Concludis hoc tuum primum
motiuum dicens, quod vides non nullos; qui manus dantes præsidium quærunt
pro Lusitana coronà ex diuturna possessione, exquo Reges Catholici illam sunt
adepti, quia omnes præsentarunt dictas Ecclesias Sede Apostolica consentien-
te. Et nonnulla consumis folia in probando Reges Catholicos non præsentasse
Lusitanas Ecclesias ex taciti vi consensus, sed ex vi priuilegij amplissimi ab
Hadriano, & alijs Pontificibus, quò ad omnes Hispaniæ Ecclesias Carolo V. spe-
cialiter concessi. Et hanc conclusionem pro parte affirmatiua ex eo probare ni-
teris, quod præfatum priuilegium debebat etiam ad augmentum Coronæ Hispa-
niæ extendi. Cumque Lusitania fuisset adiecta præfatæ Coronæ, poterant Reges
Catholici Ecclesias Lusitanas, quemadmodum cæteras Hispaniæ præsentare.

Quis tibi reuelauit, quod Lusitani dantes manus tale quærunt præsidium. Vt-
rumque euidenter constat falsum, neque enim dant manus neque tale præsidium 57
quærunt. Non primum quia probant (vt iam tibi satis ostendi) Lusitanos Reges
saltem a tempore Alponsi V. vsque ad Henricum per spatium centum & quinqua-
ginta annorum & amplius, hoc vel illo modo, nominando scilicet, vel supplican-
do semper præsentasse. Non secundum, quia modò non prætendunt præsentare,
pro vt præsentabant Reges Catholici, sed eo modo quo præsentabant veteres
Lusitaniæ Reges.

Hic autem modus, vt ex supra positis patet, iuxta Sacrum Tabularium, indif- 58
ferens fuit, non solum Lusitanorum Regum tempore, sed etiam post vnionem Co-
ronæ Lusitanæ ad Hispanicam: aliquando enim ad nominationem, quandòque
ad supplicationem, seu ad præsentationem Lusitanæ Ecclesiæ prouidebantur: vnde
manifestè conuincitur, vt iam supra monstraui, hos diuersos modos non differre
in re, seu in substantia, sed tantum in verbis: alioquin Reges Catholici in suis præ-
sentationibus non vterentur iam vno, iam altero vocabulo, sed semper vno, & eo-
dem, quod tamen non egerunt, vt vidisti in exemplis supra allatis siquidem in vna
eademque Ecclesia modò nominabant, modò supplicabant, & aliquãdo proprios
præsentatos Pontificibus exhibebant.

Ad probationes non solum inutiles, sed inutiliter etiam adductas, quibus pro- 59
bare niteris, quod priuilegia Carolo V. concessa poterant, & debebant ad Eccle-
sias Lusitanas extendi post vnionem ad Coronam Hispaniæ, vnicum tantum dico
verbum, non quia ex eo aliquid contra Lusitanos resulte, cum non prætendant
in præsentiarum aliquid iuris sibi acquirere ex modo, quo præsentabant Reges
Catholici, ex virtute præfatorum priuilegiorum, sed vt tuam ignorantiam tibi co-
gnoscere faciam.

Illud autem est, quod licet Lusitana Corona a Philippo II. Hispaniæ vniretur, 60
diuerso tamen modo ab alijs Regnis Hispaniæ vnitis. Illa enim erant veluti Pro-
uinciæ quædam sub dominio tamen vnius Regis, ita vt Rex Catholicus indiffe-
renter prouideret, & præficeret personas ex quocunque Regno, seu natione sibi
subiecta absque vllo discrimine, etiam ad Ecclesias Cathedrales, ita vt dici posset
vnum tantum Regnum ex varijs prouincijs constans. In Lusitania autem aliter

se res

ſe res habebat: Luſitani enim Regem Hiſpaniæ non agnoſcebant, ſed Regem Luſitaniæ, licèt nanque perſona eſſet eadem, non tamen vti Hiſpaniæ, ſed vti Luſitaniæ Rex, Regnum illud gubernabat: & tum ad Eccleſias, tum ad cætera munera non poterat de perſonis aliorum Nationum prouidère, ſed tantum de Luſitanis. Et quod magis eſt nec litteras, nec patentes, nec alia decreta, in Luſitaniam mittere poterat, niſi Luſitana lingua ſcripta, & ſubſcripta, ac ſigillo Regum Luſitanorum ſigillata. Nuncius etiam Apoſtolicus Hiſpaniæ nihil authoritatis in Luſitania habebat, ſimiliter & Inquiſitor Generalis, vtrunque enim proprium habebat Luſitania. Et quid amplius? Quod ad rem noſtram facit, quando in Sacro Conſiſtorio aliquis nominatus a Rege ad Epiſcopatum proponebatur, non illum proponebat Cardinalis Protector Hiſpaniæ, quemadmodum pro alijs Eccleſiis cuiuſcunque Regni Regi Catholico ſubiecti, ſed Protector Cardinalis Luſitaniæ: nec dicebat, proponit Rex Hiſpaniæ, vel Rex Catholicus nó abſolutè, ſed Rex Catholicus vti Portugalliæ. Ergo bene valet conſequentia, quod non præſentabat, ſeu nominabat, vti ſucceſſor Caroli V. cui tu dicis conceſſum fuiſſe dictum priuilegium, ſed tanquam ſucceſſor Regum Luſitanorum; ac per conſequens, quod non illi præſtabat authoritatem, priuilegium Carolo conceſſum, & ſucceſſoribus eius, ſiquidem non tanquam ſucceſſor illius Eccleſias Luſitanas præſentabat. In re ſatis nota mitto Authores, ſufficiantque ſuccinta Thomæ Boſſij verba de ſign. Eccleſ. lib. 8. ſign. 32. cap. 1. *Luſitania (inquit) licèt poſt M. D. LXXXI. proprium ſuæ nationis Regem non habeat propria tamen iura tuetur, ac leges: neque quas oras longiſſimè poſitas ſibi peperit, & acquiſiuit, vllo modo amiſit, aut illæ alijs Regnis attributa ſunt.* Vides ne iam tuam ignorantiam? fateri enim cogeris hæc omnia ignoraſſe, cum tempus, & chartam perdidiſti in probando quod Reges Catholici poſt vnionem Coronæ Luſitanæ præſentabant ad Eccleſias Cathedrales dictæ Coronæ virtute priuilegij Carolo, & ſucceſſoribus ab Hadriano conceſſi.

61 Concludis tandem hoc primum motiuum dicens, etiam ſi daretur Reges Catholicos ex vi taciti conſenſus Sedis Apoſtolicæ præſentaſſe, illum tamen nullo pacto ſuffragari poſſe Duci Brigantiæ: Rationem autem huius concluſionis reddēs, in eo ſitam eſſe decernis, quod præſumi non poteſt Apoſtolicam Sedem talem conſenſum extendere voluiſſe ad ſucceſſores violentos, & rebelles Regum Caſtellæ, vt eſt hodie Dux Brigantiæ: quia ius reſiſtit, nè quis violenter, & propria authoritate ius ſibi dicat, & apprehendat, quod Rex Catholicus iuſtè, pacificè, & authore Prætore poſſidebat.

62 Ad hanc tuam vltimam Concluſionē nihil aliud duxi reſpondendū, niſi quod rectè diceres, ſi probaſſes; Proba igitur, quod Dux Brigantiæ ſit ſucceſſor violentus, & rebellis in recuperatione Luſitanæ Coronæ: ſimiliterque, quod Rex Catholicus iuſtè, pacificè, & authore Prætore eam poſſideret, & non ſolum dabo tibi manus, ſed victum & conuictum coram toto terrarum Orbe me publicè fatebor. Attamen iam tibi in principio dixi, quod nec tu, nec Collegæ tui tecum, nec aliquis alius vſque modo tale probauiſtis, nec vnquam probare valebitis: cum aduerſarij veſtri luce meridiana clariùs ius Brigantini Ducis ad præfatam Coronam non ſolum probauerint, ſed vendicationem, & poſſeſſionem non propria authoritate apprehenſam, ſed à Iudice, ſeu Prætore (vt tuo vtar vocabulo) competenti iuſtè iudicatam ex legibus vniuerſalibus, & particularibus ipſius Regni iuſtificauerint. Lege præter cæteros quid de hac controuerſia ſcripſerit D. Antonius Betancor in ſuo Anti Diana, & videbis, quo iure Reges Catholici Luſitanum Regnum poſſidebant, & qua iuſtitia, quo ve Prætore idem Sereniſſimus Ioannes IV. poſſedit.

Secun-

Secundum tuum motiuum est.

Quia esto haberet ius supplicandi pro, Ecclesys Portugalliæ, & ius præsentandi pro illis Indiæ Orientalis, adhuc hodie propter circunstantias præsentes admitti non possunt canonicè, nec præsentationes, nec supplicationes illius.

HOc, vt probes mittis in primis (vt asseris) in quæstionem vocare, an Coro- 1
na Lusitaniæ ius habeat præsentandi Ecclesias Indiæ Orientalis, quia non
tibi opus est id impugnare, cum ea sit hodiè rerum conditio, vt esto concederes
habere Coronam illam iuspræsentandi ad præfatas Ecclesias, immò ad ipsas Lusi-
taniæ, tamen tot exceptiones concurrere in Duce Brigantiæ, vt in nullo suffraga-
ri illi posset, nec spectatis Sacris Canonibus, & Concilijs admitti vllatenus possent:
omnes enim conditiones, quæ omninò requiruntur, vt præsentationes cuiuslibet
Patroni legitimè admittantur, in præsenti casu desiderantur.
Deindè enumeras conditiones ipsas, quas quatuor esse dicis. Et primam qui-
dem, vt quis possideat pacificè, saltem per triennium fundum illum, in quo radi- 2
catur ipsum iuspatronatus: cum enim hoc sit fructus fundi, cui non competit pa-
cificè fundus nec fructus illius competere consequenter potest. Hanc conditio-
nem, vt probes, adducis Clem. 1. de sequestr. & ibidem Glossa verbo, Triennio,
Cap. Commissa de elect. in 6. vbi Glossa verb. Pacificum, & DD. communiter
apud Garz. de beneficijs p. 11. cap. 15. num. 106.
Quod ad citationem Clementinæ pertinet, falsissimè eam citas, non enim ibi 3
agitur de iurepatronatus, nec de fundo, in quo ipsum ius radicatur: sed de seque-
stratione facienda, vel non facienda, & dicit Papa, quod, ad compescendas liti-
gantium malitias, obtenta iam vna definitiua per Sedem Apostolicam contra
possessorem, si ipse possessor per triennium antea pacificè non possederit, per loci
Ordinarium apud aliquam personam idoneam sequestretur. Glossa autem a te
citata sic asserit. *Ista duo requiruntur, nè sequestratio fiat: quod triennio sit possessum, &*
quod pacifice. Præter quam quod dictus textus sit omninò extra lineam, nihilque
habeat simile cum casu præsenti, ratione cuius possit ipsi applicari, est expresè
contra te. Primo, quia causa, quæ monit Pontificem ad ita decernendum, fun-
datur expresè in vna definitiua per Sedem Apostolicam contra possessorem. As-
signa igitur quisnam fuerit hic Pontifex, qui hanc diffinitiuam contra Regem Io-
annem possessorem pronunciauerit: sed cum constet, quod nullus, apertè conuin-
citur, quod deficiat textus in nostro casu, deficiente causa motiua, & fundamen-
tali illius. Secundo, quia Papa iubet, quod non fiat sequestratio, si possessor, licèt
habeat contra se vnam diffinitiuam, triennio possederit. Rex autem Ioannes (quod
tu fateris) per quindecim annos possedit. Tertio, quia dixit Papa possessionem
triennalem debere esse pacificam: quid autem sit pacificè possidere, statim te do-
cebo, siquidem post tot studiorum elapsos annos adhuc tamen hęc ignoras.
Secunda probatio ex Cap. Commissa de elect. in 6. non minùs est extra rem, 4
quia casus est omninò dissimilis. Quidam cum adhuc non esset ordinatus proui-
sus fuit de certa Ecclesia Curata, facta eidem facultate, vt posset possessionem sta-
tim sumere, licèt non esset promotus ad Ordines, dummodò tamen intra annum
promoueretur, dicit igitur Papa in dicto capite *quod præfatus annus, qui a tempore*
illo incepit (sunt formalia textus verba), *quod ipsius Ecclesiæ regimen commissum illi*
extitit, & possessionem pacificam, vel per ipsum non stetit, quo minus illam haberet, ipsi
non currit, si promoueri iusto impedimento detentus intra tempus huiusmodi nequiuit. Quid
igitur ex hoc textu contra Regem Lusitaniæ eruitur? Immò est omninò contra
te: demus enim, quod possessionem pacificam non habet, attamen per illum non
stetit, quin illam haberet, quod iuxta textum sufficit. Sed quæ similitudo ex hoc
casu cum possessione fundi in quo radicatur iuspatronatus? Addisce, Amice, nè
tibi dicatur: Ne sutor vltra crepidam.
Tertia probatio ex Garz. & DD. ab ipso citatis p. 11. cap. 5. non 15. num. 105. 5

non 106. vt tu falsò citas, (concedo fuisse Amanuensis errorem) est hominis, non iam passione cæci, sed omnino insensati. Vocemus dictum Garziam ad examen, & audiamus quid, & contra quem deponat. *Vbi aliquis* (inquit) *est in possessione beneficij, licet sibi moueatur lis super beneficio, tamen videtur pacificam possessionem habere, quia ad hoc, vt aliquis videatur pacificam possessionem habere, sufficit, quod de facto possideat, licet super iure sibi controuersia moueatur.* Iisdemmet verbis deponit Rota decis. 3. alias 56. in antiquis de causa possessionis, & de præbend. decis. 3. alias 61. in nouis. Vnde Mascard. concl. 183. num. 6. & 48. tenet expresè requiri tantummodò annalem possessionem, vt quis dicatur pacificè possidere, per ea quæ tradit Felin. in cap. In nostra num. 33. de rescript. Rationem fundamentalem huius resolutionis tradit idem Garzia dicta p. 11. cap. 3. §. 4. num. 324. quia ex actu etiam nullo acquiritur possessio: & num 325. addit, quod capiens possessionem etiam sine titulo, & collatione, est intrusus, & sic possessio est iniusta, & illicita, non tamen nulla. Quid dicis ad hoc? optimos textus, optimosque Doctores adduxisti in defensionem iurium Regis Ioannis. vnde ipse meritò dicere poterat. Salutem ex inimicis nostris, & demanu omnium, qui oderunt nos.

6 Deueniendo igitur ad tuam huius primæ conditionis applicationem, quid proderit tuo Regi, tum Regni, tum iurispatronatus possessioni Lusitanorum resistere? quid bello, scriptis, protestationibus, & iugibus instantijs apud Sedem Apostolicam vrgere, nè Lusitanum Legatum, aut præsentationes admittat, immò vt etiam censuris, & anathemate illud Regnum perstringat? Potest ne Sanctissimus D. Alexander VII. præcitata iura, vt tu, ignorare? Si autem illa non ignorat, vt certissimam est, quomodo persuadere niteris, quod contra mentem Sanctissimi Patris omninò pugnat? Sed, proh dolor, præsentis temporis calamitas tibi forsan frenericè persuasit, vt propter temporalem politicam posset Sanctissimus Pastor proprias oues non solum non agnoscere, contra Diuini Pastoris præceptum quando illas Petro commisit, sed etiam easdem à se reijcere, tanquam si suæ non essent. Tu autem falleris, Sanctissimus enim Pastor, non solum ad caulas, sed ad pascua quoque Lusitanas oues, etiam inuitis aduersarijs debet admittere, cum ignorare non possit quid per Prophetam pastoribus Israel comminetur Deus. Im-

7 mò [illegible] uerit pro illis animã suã absque vllo minarũ timore intrepidè dabit.

[illegible] a conditio est dummodò possideat pacificè præter fundum, etiam [illegible] em, seu iuspræsentandi affixum fundo: vnde si possidens fundum pa- [illegible] tamen contradictorem legitimum circa ius præsentandi, non est ad- [illegible] præsentatio, quousque constet de eius bono iure: quæ quidem con- [illegible] is etiam conuincitur, quod vt probem, non quæro iam exquibus nam [illegible] m conditionem eruisti, cum fatearis ex cap. Ex litteris de iurepa- [illegible] desumpsisse. Adducamus igitur in indicium præfatum textum, vt [illegible] el falsitate tua fideliter deponat.

[illegible] ponit. *Monasterium locauit cuidam militi villam, cui competebat ius* [illegible] *, cuius virtute miles præsentauit. G. Postea Abbatissa præfati Monasterij præsentauit. V. Episcopus illius Diæcesis instituit. G. præsentatum a milite: attamen Archiepiscopus Sabrabanen. repudiauit præsentatum a milite, Episcopus verò scripsit Papæ, qui mandauit, quod si constiterit, quod militi villa fuerit concessa, non excepto iure patronatus adiudicent Ecclesiam præsentato a milite.* Qua ergo fronte asseris Pontificem rescripsisse Episcopo, quod constito de discordia reijceret præsentationem militis? Vbi talia verba inuenisti, cum Pontifex non solum non mandet præsentationem militis reijcere, sed expresè præcipiat, quod si non constet de reseruatione iurispatronatus facta à Monasterio, quando militi villam locauit, instituatur eius præsentatus? Vnde apertè euincitur possessionem villæ, seu fundi, in quo situm est ius patronatus, adeò esse priuilegiatam, vt si non fiat expressa mentio reseruationis iurispatronatus, semper dictum ius sequitur possessorem fundi.

9 Immò Patronus putatiuus debet præsentare, & non alius, qui caret possessione, licet bonum ius habeat ad proprietatem. Ita per textum in cap. Consultationibus de iur. patr. resoluunt Roch. de Curt. verb. Competens q. 9. num. 39. cum seqq. Guter. cons. 4. num 34. Gonzal. ad reg. Cancel. 8. Glossa 45. §. 2. num. 6.

Salgad.

Salgad. de protect. Reg. tom. 1. p. 3. cap. 10. num. 3. cum seqq. Rota decis. 167. num. 7. p. 2. diuers. Tandem Barbos. de iur. Ecl. lib. 3. cap. 12. num. 185.

Addit præterea Garz. de benefic. p. 5. cap. 5. num. 9. quod sufficit quem esse possessorem iurispatronatus in consequentiam, & non principaliter, vt possit validè præsentare. Vnde bonæ fidei possessor alicuius castri, seu villæ, vel comitatus, ratione cuius competit iuspræsentandi ad Ecclesiam, licèt nunquam antea præsentauerit, potest præsentare, quia dignitas, seu Castrum, vel Comitatus videtur hoc inspræsentandi semper retinuisse. Ita Rota decis. 1. de iur. patr. alias 140. in nouis, & plures alij, quos ibidem citat. 10

Vltra quæ progreditur Rota de iur. patr. decis. 7. in nouis. num. 1. quod Collatio, siue præsentatio facta per possessorem etiam violentum, de cuius violentia, siue mala fide apertè non constat, valet, & tenet: quia prædo etiam tuendus est in possessione. Cap. cum litteris de restit. spoliat. & rationem à priori reddit Rota decis. 1. Bisegneti de restit. spoliat. num. 7. quia iustum, & iniustum non diuersificant essentiam possessionis. Arg. l. 3. §. Incontratio in fine ff. de acquir. possess. 11

Quibus positis euidēter constat secundam conditionem a te propositam fictam omninò esse, vtpotè contrariam iuri, & Doctotibus, atque decisionibus Sacræ Rotæ. Qui omnes oppositum docent, vt tibi satis ostendi: licèt enim quod requiratur, vt qui debet præsentare, sit in possessione pacifica: ad hoc sufficit, quod possideat, quamuis nunquam præsentauerit, quia, vt dicunt Garz. & Rota supracitati, dignitas, seu castrum semper retinuerunt iuspræsentandi, etiam si possessor sit violentus, & iniustus, ac etiam malæ fidei, dummodo de prædictis violentia, ac mala fide apertè non constet. Quod autem in nostro casu de mala fide ac violentia Regis Ioannis non constet, est perse notum, immò constat de optima fide, vt videre poteris apud supracitatos Doctores, qui pro ipso scripsere. 12

Et licèt ex dictis satis conuincaris, non possum tibi non improperare falsitatem adeò euidentem, vt proferas, quod Vrbanus VIII. admisit præsentationes Regis Catholici ad Ecclesias Lusitanas, etiam post ereptum sibi Regnum; quod dicis compertum esse omnibus. Qui (quæro) sunt isti omnes? vnum tantum ex illis mihi nomina, & dabo tibi manus. O quanto melius tibi foret tacere, quam tam mendaciter loqui: pudeat, Amice, pudeat, iterum dico, te loquacitatis tuæ, nè fatuus, & impudens ab istis omnibus habearis. 13

Tertiam conditionē ex eo eruisti, quod iam dixeras in principio dubij primi, videlicet, quod quæstio debet esse definita intra quadrimestre, vt habetur in cap. Quoniam de iurepatronatus, Iam satis superque huic conditioni respondi, tibi euidenter ostendens, quod non intelligabatur, nec intelligi poterat de Ecclesijs Cathedralibus, immò nec de alijs beneficijs respectu Regum Lusitanorum, qui erant in possessione, vt suis præsentatis non curreret tempus quatuor mensium, vt ex sententia lata ab Auditore Apostolico supra est ostensum. Et similiter quod inter Reges Catholicum, & Lusitanum nulla lis iuridica controuertatur, licèt ex parte Catholici non deficiant lamentationes, carmina, & væ, ob depositionem illius Regni. Sed hæc non impediunt, nec impedire possunt iustitiæ cursum: quamuis enim propter temporum tenebrosas calamitates per sexdecim annos illum impedierint, piè, ac sanctè credendum est, quod perlucens noua stella in montibus sanctis, ab ipsis tanquam æternis Regnum Lusitanum, quod tot annis in tenebris, & vmbra mortis esse patienter tulit, mirabiliter illuminabit. 14

Quarta demum conditio a te assignata est, si ex ad missione præsentationum futura scandala timeri possint, tunc enim non sunt admittendæ. Hoc probare prætendis ex cap. Quoniam de iurepatronatus. Duo in præfato capite decernuntur, vnum est, quod si timeantur scandala futura, prouideat Ecclesiam, seu beneficium Episcopus se solo. Sed sciendum est ex quibus, vel interquos præfata scandala oriri possunt, vt præsentationem Patronorum impedire valeant. Audi Barbos. lib. 3. de iure Eccles. cap. 12. num. 171. ita loquentem. *Si propter plures Compatronos diuersa, uel discors præsentatio fiat, adeò ut sine scandalo non ualeat unius ex præsentatis institutio fieri, poterit Episcopus Ecclesiam, ut melius secundum Deum ei uisum fuerit ordinare: cap. Quoniam de iurepatronatus.* Vnde iam vides, si oculos mentis habes, 15

quod

tifices conquerebantur, inde magis ac magis necessariò augebantur. Et nihilominus, his non obstantibus, præfati Reges dum viuerent, & per suam mortem innumera bona, etiam stabilia, Ecclesijs, & monasterijs sui Regni reliquerunt, & non pauca à fundamentis erexerunt, & dotarunt, cum adhuc tamen Regnum esset pauperrimum: Et non solum liberaliter, sed etiam prodigè plurima legarunt, vt videre poteris apud Brandonium tom. 3. & 4. Monarch. Lusit. Interim de solo Alphonso III. sufficiat Bzouii testimonium anno 1256. num. 4. circa finem: vbi post relationem repudii Comitissæ Matildis, sic adiecit. *Erat alioqui Alphonsus miti, & tractabili ingenio, æqui, iustique tenacissimus, latrocinia, & maleficia, quæ ex superiorum temporum licentia, & Sancij Regis soccordia impune grassabantur, tota Prouincia sustulit, leges sanxit, iudicia constituit: Summos cum medijs, atque cum his infimam plebem æquabili iure constrictos tenuit. Hæc domi: militiæ autem non minor virtus fuit, eius enim armis, & auspicijs ditionis fines prolati: Farum, Algesira, Alboseira, aliaque Syluensi tractu oppida Mauris ablata. Extant pietatis monimenta, Vlysipone Dominicano Ordini præclarum cœnobium perfectum per hæc tempora, ad culmenque perductum Scalabi Virginum Collegium S. Claræ nomine eius impensa à fundamentis extructum. Ea in pauperes munificentia, vt, haustis sæpe thesauris, redigenda pecunia domesticam supellectilem solitus esset oppignorare.*

20 Ecce (Amice, seu potius Inimice) quales fuerunt Reges Lusitani, quos tu de vsurpatione iurispatronatus Ecclesiarum falsò incusas. Quòd licèt à te de illis tribus sufficienter probaretur (quod tamen non est, vt satis superque ostendimus) quid indè contra Regem Ioannem post tot transacta secula inferre poteras? non meministi illius diuini Oraculi Ezechiel. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij, iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum?* quod non nocuit tot succedentibus Regibus, volebas, vt noceret post quadringentos annos huic nouissimo? Non dico iam ignoranter tantum, sed barbarè etiam argumentaris.

21 Expræfatis, tuo sano, seu veriùs insano, iudicio concludis, quod cum testes, qui de iure patronatus Portugalliæ deponunt, sint de veritate suspecti, & Reges illius de manifesta vsurpatione per ipsam Sedem Apostolicam conuincti; meritò concludat Concilium Tridentinum, non nisi per authenticas scripturas, & per præsentationes confirmatas per lapsum saltem quinquaginta annorum, probandum esse à Regibus Portugalliæ iuspatronatus prætensum.

22 Hic reassumenda est vindicatio tum testium Lusitanorum, quos tu de veritate suspectos pronuncias, tum etiam Regum, quos de manifesta vsurpatione conuictos asseueras. Do testem omni exceptione maiorem, quem licet natione Lusitanum, affectu tamen, & obligatione Castellanum, suspicionis nota inurere non poteris: non enim solum maiori ex parte suæ vitæ extra Lusitaniam, quasi offensus degit, sed ob præclara merita in Castellæ Coronam à Rege Catholico Philippo IV. ad Episcopatum Vgentinum in Regno Neapolis nominatus, seu præsentatus fuit, quo obtento sanctissimè vixit. Hic autem in suo tomo de iur. Eccles. lib. 3. cap. 12. & de officio Episc. p. 1. tit. 1. cap. 3. a num. 27. vsque ad 34 latissimè probat Reges Lusitanos ex tribus illis medijs, quæ tu insipienter, & ignoranter in Doctoribus Lusitanis reprobas, scilicet ex priuilegio Summorum Pontificum dato, vel permisso: ex possessione, vel consuetudine immemorabili: ac ex iure communi: atque tandem ex ratione conuenientiæ, vt videlicet, qui eliguntur, Regni, aut Principis inimici, vel suspecti non sint authoritatem nominandi ad Cathedrales semper habuisse. Fundamenta, rationes, & Doctores, quos ad intentum adducit apud ipsum locis citatis videre poteris, & etiam responsionem ad obiecta, si quælibet offerantur.

23 Sed enim licèt præfati Doctoris adeò celeberrimi, & famigerati fundamenta nulla alia indigeant confirmatione, non potui eam non adiungere: sic igitur arguo. In capite. Nouit. de iudic. consuetudo æquiparatur priuilegio, ibi: *Nisi forte iuri communi per speciale priuilegium aliquid sit detractum.* Vnde Glossa ad verbum, *Consuetudinem*, Sic habet. *Nota quod consuetudo parificatur Priuilegio 9. quæstione 3. cap. conquestus & 63. dist. cap. quia Sancta & 64. dist. cap. quia per ambitiones.*

Item

Item patet hic, quod consuetudo dat iurisdictionem: de arbitris. Cap. Dilecti & C. de Eman. l.1. & vltima & 63. dist. d.Cap. Quia sancta. Sed sic est, quod Reges Lusitani, saltem in consuetudine, absque vlla contradictione, immò cum approbatione Sedis Apostolicæ semper nominarunt, seu supplicarunt pro Episcopis sui Regni, quod idem est atque præsentare, isto, vel illo verborum tenore; vt supra ostendimus: ergo si ex citatis iuribus consuetudo parificatur priuilegio, & dat iurisdictionem, non absre, vt tu falsò asseris, Doctores Lusitani firmarunt præfatos Reges ex priuilegio, vel consuetudine tolerata, nominandi facultate sui Regni Episcopos potiri. Sic loquitur Barb. de offic. Episc. loco supracitato num. 27. dicens. *In quibus* (hoc est Regibus Lusitanis de quibus supra loquebatur) *Summorum Pontificum concessione, vel consuetudo tolerata est, vel potestas nominandi Episcopos eorum Regibus data est.* Et quando omnes aliæ deessent rationes, quomodo credibile est, quod Curia Romana, quæ adeo, & meritò quidem, suam zelat iurisdictionem, per spatium centum quinquaginta annorum consensisse, seu tolerasse vsurpationem illius à Regibus Lusitanis iteratis vicibus contra ius occupatam? Vnde si præfatum Concilium non nisi per authenticas scripturas, & per præsentationes confirmatas per lapsum saltem quinquaginta annorum probandum esse à Regibus Portugalliæ prætensum iuspatronatus decernit (licet dictum Concilium, vt satis ostensum est, de iurepatronatus ad Ecclesias Cathedrales non loquatur) non tantum a quinquaginta, sed ad centum & quinquaginta annis præsentationes, seu nominationes, vel, vt tu vis, supplicationes confirmatas a diuersis Pontificibus esse, ex actis Consistorij, à quibus tu ex Sacra Rota, & alijs Doctoribus petendas esse asseueras, tibi ex sequentibus ostendam.

24 Glorianter iactaris, quod Sacri Consistorij Tabularium aperuisti, ex quo non nullas Episcopatuum Lusitaniæ prouisiones, non ad præsentationem, sed ad supplicationem tantum factas eruisti. Ego verò qui licet Princeps non tamen se iactantium, & gloriantium, sed prudentium, vt tu fateris, sum, tuam imprudentiam, seu potius ignorantiam non possum non mirari, quippequi aperiens præfatum Tabularium non vidisti, quod ex ipso met te reconuincere poteram, vt statim præstabo, sed absque dubio imprudenter, ignoranterque tibi persuasisti, clauem, qua illud aperueras nulli alij consignandam vnquam fore. Deceptus es: sed priusquam ignorantiam tuam omnibus legentibus palam faciam, repetere oportet, quod iam supra tetigi, videlicet præsentationem nihil aliud esse, quam exhibitionem personæ factam legitimè Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, Vnde licèt aliquando fiat nominando personam, aliquando verò pro ea supplicando, non proindè desinit esse præsentatio, quamuis enim diuersis verbis fiat, cum eundem sortiatur effectum, qui est collatio, seu institutio illius personæ, pro qua fuit supplicatum, vel quæ fuit nominata, in re idem esse verificatur. Vnde si differentia aliqua est inter nominationem, & supplicationem quæstio omninò est de nomine, & non de re: & ideo tum Pontifices, tum etiam Reges ipsi absque vlla differentia tam in confirmatione illi, quam isti in præsentatione diuersis verbis in diuersis occasionibus vsi sunt, etiam ipsi Reges Catholici, postquam Lusitanum Regnum compararunt, & Pontifices illius temporis. 25

Quod vt exemplis etiam à te adductis illustretur, Tabularium Sacri Consistorij iam aperire opportet. De primo igitur tuo exemplo, scilicèt de Paulo III. qui, vt tu dicis, Ecclesiæ Bragarēsi absque vlla Regis præsentatione præfecit Episcopum, nihil ex Sacro Tabulario constat; vnde exemplum suppositum omninò videtur ex triplici capite. Primo, quia nulla est Ecclesia Bragarensis in Lusitania. Secundo, quia si Bracharensem inuenisti, & dicas mendum fuisse Amanuensis, dicere debebas Archiepiscopum, non verò Episcopum, quia Brachara à pluribus seculis Sedes est Archiepiscopalis, immò & Primas; & non est credibile, quod in Sacro Tabulario diceretur Paulum III. præfecisse Episcopum, sed Archiepiscopum. Tertio, quia non exprimis nomen talis Episcopi, vt facis in alijs exemplis a te adductis. Vnde absque dubio ob similitudinem vocabuli debuisti putare Tabularium de Bracharensi loqui, cum loqueretur de alia Ecclesia Bragarensi, quæ tamen nulla est in Lusitania, nisi fortè tua solita malignitate ex industria nomen æquiuocasti.

Tuum

Tuum secundum exemplum est de Ecclesia Syluensi, postea Faronensi, qui mutata fuit Sedes Episcopalis ob aeris intemperiem ad ciuitatem Faronensem. Ad hanc, vt tu asseris, admissus fuit ab eodem Pontifice quidam Ioannes de Bararcos ad supplicationem Regis Ioannis anno 1549. Videamus igitur, an tempore Philippi II. III. & IV. simili modo prouisa sit dicta Ecclesia. Anno igitur 1581. ad supplicationem Regis Philippi II. prouisus fuit D. Alphonsus à Castello branco. Anno 1589. ad supplicationem eiusdem D. Franciscus. Anno 1594. ad supplicationem eiusdem D. Ferdinandus Martinus Mascaregnas. Anno 1627. ad præsentationem Philippi IV. D. Franciscus Menesius. Anno 1636. ad nominationem eiusdem D. Franciscus Barreto. Ecce, Amice, iam vides quod in eadem Ecclesia tempore Regum Catholicorum prouisi fuerunt absque vlla differẽtia tres ad supplicationem, vnus ad præsentationem, alter ad nominationem. Vnde euidenter colligitur, quòd nec Summi Pontifices, nec ipsi Reges de modo loquendi in personis proponendis, seu exhibendis curauerint, sed tantummodò de obtinenda ab istis, & confirmanda ab illis præsentatione, seu exhibitione.

27 Tertium, quod offers exemplum, est Ecclesiæ Lamecensis, cui Iulius Pontifex anno 1551. præfecit *D.* Emmanuelem ad supplicationem Regiam. Anno autem 1570. eadem Ecclesia attributa fuit *D.* Emmanueli de Meneses ad eandem supplicationem. Iterum anno 1579. data fuit cuidam *D.* Simoni ad supplicationem Regis Henrici: attamen in hoc exemplo toto cælo aberrasti, quia tunc dicta Ecclesia non fuit commissa Simoni, sed Antonio. His tuis prouisionibus addimus eas, quas ex Tabulario eruere curauimus, videlicet anno 1599. ad supplicationem Regis Catholici prouisus fuit D. Martinus. Item anno 1613. ad nominationem Philippi III. alius D. Martinus. Item anno 1627. ad presentationem Regis Catholici, vti Portugalliæ, D. Ioannes: pondera clausulam illam, *vti Regis Portugalliæ*, non enim, vt infra monstrabo, Reges Catholici in istis nominationibus, seù supplicationibus vtebantur priuilegio Carolo V. concesso.

28 Quartum est Ecclesiæ Portugallensis, quæ anno 1552. concessa fuit Roderico Pigneiro ad supplicationem Regiam, & anno 1581. ad supplicationem Philippi II. concessa fuit cuidam D. Marco. Anno autem 1592. ad supplicationem eiusdem Philippi data fuit D. Hieronimo. Deinde anno 1602. ad supplicationem Philippi III. fuit prouisus D. Gondisaluus. Deinde anno 1618. ad nominationem eiusdem Philippi, vti Regis Portugalliæ, data fuit D. Roderico de Acugna. Et anno 1627. ad præsentationẽ Regis Catholici, vti Portugalliæ, cõcessa fuit *D.* Ioanni.

29 Quintum exemplum est Ecclesiæ S. Thomæ, quæ anno 1544. concessa fuit *D.* Augustino Gaspar ad supplicationem Regiam. Adde, quod anno 1578 ad præsentationem Regis Henrici data fuit D. Martino. Et anno 1615. ad præsentationem Philippi III. vti Portugalliæ, præfectus fuit D. Petrus à S. Augustino.

30 Sextum est Ecclesiæ Vlysiponensis, quæ anno 1569. data fuit D. Georgio de Almeida ad supplicationem Regis Sebastiani. Adde, quod anno 1586. eadem Ecclesia concessa fuit *D.* Michaeli à Castro ad supplicationem Philippi II. Et anno 1626. D. Alphõso Furtado de Mẽdõca ad præsẽtationẽ Philippi IV. vti Portugalliæ.

31 Septimum est Ecclesiæ Elborensis, quæ anno 1588. non Theodosio, vt tu dicis, sed Theotonio de Braganza ad supplicationem Sebastiani. Adde, quod anno 1602. concessa fuit Alexandro ad nominationem Philippi III. & erectio facta fuit anno 1540. cum reseruatione iurispatronatus pro Rege.

32 Octauum est Ecclesiæ Conimbricensis, quam anno 1579. obtinuit *D.* Gaspar Casalius ad supplicationem Regiam. Adde, quod anno 1585. eandem Ecclesiam obtinuit D. Alphonsus à Castellobranco ad supplicationem Philippi II. & anno 1616. eandem obtinuit D. Alphonsus Furtadus ad præsentationem Philippi III. & anno 1619. *D.* Martinus Alphonsus Mexia ad supplicationem eiusdem Philippi.

33 Nonum, & vltimum exemplum est Ecclesiæ Mirandensis, quam à Gregorio XIII. obtinuisse asseris ad supplicationem Regis Henrici die 2. *D*ecembris absque expressione anni. Cumque Henricus per annum, & quinque menses tantum regnasset, mortuusque esset die vltima Ianuarij anni 1580. & inueniamus in Tabulario Sacri Consistorij in eadem Ecclesia ad supplicationem Regis (qui tunc temporis

erat

erat præfatus Henricus) prouisum fuisse D. Hieronymum, bene deducitur, quod
vel dictus Antonius non fuit prouisus ad supplicationem Henrici, vel quod exem-
plum sit omninò falsum. Attamen, vtcunque sit, adde, quod in eadem Ecclesia
prouisus fuit D. Emmanuel anno 1593. ad nominationem Philippi II. & anno
1515. ad nominationem Philippi III. D. Ioannes.

Præter præfata tua exempla, omissisque omnibus Ecclesijs vltramarinis, inqua- 34
rum erectione fit expressa mentio de reseruatione iurispatronatus pro Regibus,
quemadmodum in alijs ipsius Regni Lusitani, si quidem te iactas, quod potestatem
habeas Tabularium Sacri Consistorij aperiendi: aperi (quæso) illud, & reperies
in omnibus prouisionibus dictarum Ecclesiarum, tum tempore Lusitanorum Re-
gum, tum Catholicorum, indifferenter appositas clausulas illas ad præsentatio-
nem, ad nominationem, & ad supplicationem: quod sanè non esset si aliqua sub-
stantialis differentia inter eas fuisset, tum ex parte Pontificum, tum ex parte Re-
gum ... ex illis, quia non confirmarent Episcopos cum clausula præsentationis, seu
nominationis, si non haberent, nisi authoritatem supplicandi. Ex his quia non
acceptarent præfatas prouisiones cum clausula supplicandi; si haberent potesta-
tem nominandi seu præsentandi. Vnde euidenter conuincitur controuersiam,
si qua est, de nomine tantum esse, non vero in re, vt supra iam bis ostendi. Sicque
concludendum omninò est, omnia tua exempla extra lineam, & ineptè fuisse ad-
ducta absque vlla necessitate.

Ad hæc inutila & indiscreta exempla alia Eminentissimorum Cardinalium po- 35
neotum (quæ sane a nescio quo non minus te audace, & inscio emendicasti) ad-
duxisti. Primum est de Ecclesia Vlysiponensi, quam dicis proposuisse D. Cardi-
nalem S. Sixti sub Gregorio XIII. Non bene transcripsisti exemplum quod à præ-
fato authore emendicasti, ille enim in sua Apologia seu Discursu de Ecclesia Por-
tugallensi loquitur, quæ data fuit cuidam D. Marco à Gregorio XIII. anno 1581.
ad supplicationem Philippi II. qui tunc temporis iam regnabat in Lusitania, &
non ad supplicationem alicuius Regis Lusitani. Et quod istam Ecclesiam propo-
suisset D. Cardinalis S. Sixti, non autem Vlysiponensem, vt tu falsò affirmas, eui-
deoter conuincitur: quia D. Georgius de Almeida per te in tuo sexto exemplo
præfectus fuit Ecclesiæ Vlysiponensi ad supplicationem Regis Sebastiani, & vixit
vsque ad annum 1586. inquo fuit subrogatus D. Michael à Castro ad supplicatio-
nem Philippi II. & anno antecedenti 1585. die decima Aprilis obijt Gregorius,
quomodo ergo tempore illius poterat Cardinalis S. Sixti Ecclesiam Vlysiponen-
sem proponere? Duo igitur mendacia in hoc tuo exemplo reperiuntur, vnum
scilicet, quod dicta propositio facta sit ad supplicationem alicuius Regis Lusita-
ni, cum euidenter constet factam esse ad supplicationem Philippi II. alterum est,
quod fuerit facta tempore Gregorij XIII. cum constet, quod anno 1586. iam Si-
xtus V. Ecclesiam regebat.

Secundum exemplum est Cardinalis Farnesij, qui, vt tu falsò dicis sub eodem 36
Gregorio XIII. Ecclesias vnitas Septensem, & Tingensem proposuit: istud etiam
non bene a præasserto Anonymo transcripsisti, quia ipse expresse dicit, factam fui-
se dictam propositionem a præfato Cardinali Farnesio sub Sixto V. non verò sub
Gregorio; & benequidem dicit, quia dicta propositio facta fuit die 25. Iulij anni
1585. tribus mensibus post obitum Gregorij. Et non fuit facta ad supplicationem,
sed ad præsentationem pro D. Didaco. Quæ etiam anno 1598. fuit data D. He-
ctori ad nominationem Regis Catholici, vti Portugalliæ. Atque anno 1601. fuit
etiam attributa D. Hieronimo ad supplicationē Philippi III. vnde patet dictas pro-
uisiones factas fuisse tempore Regum Catholicorum.

Tertium est de Ecclesia Bracharensi transcriptum etiam ex præfato Anonymo, 37
saltem ex parte est similiter falsum, quia tunc temporis non agebatur de prouisio-
ne dictæ Ecclesiæ, sed de acceptanda renunciatione D. Bartholomei de Martyri-
bus, qui cum esset vir tam notæ virtutis, nihil aliud pro suis alimentis reseruauit,
nisi centum & quinquaginta ducatos annuæ pensionis, & Rex voluit, quod essent
mille, & ideo Pontifex nollebat confirmare dictam pensionem, quippe quæ esset
contra mentem renunciantis. Vnde benè respondit Cardinalis Farnesius, quia

Rex

Rex supplicabat. Præter quam quod præfata renunciatio, & prouisio factæ fuerunt anno 1581. die 6. Nouembris, quando Philippus II. iam erat impacifica Regni Lusitani possessione, ac proinde nihil ad tuum intẽtum euincere potes, quia si dicta pensio concessa fuit ad supplicationem tantum, vt tu, & Anonymus dicitis, non tamen alicuius Regis Lusitani, sed Castellani, vt erat Philippi II. qui tunc temporis in Lusitania imperabat. Ex præfatis exemplis iam cauillatione, iam falsitate a te adductis quæris an illis suppositis, dicãt nè Lusitani cum suo Cabedo, præsumendũ esse Reges Lusitanos habuisse iuspræsentãdi ex priuilegio Apostolico.

38 Iam tibi respondi Cabedo non dixisse præsumendum, sed credendum esse, discrimenque tetigi inter præsumere, & credere: rationésque adduxi, propter quas ita sit credendum. Et ideo illis ommissis illa fortissima videtur (quam iam supra tetigi) & vt talis omnem absorbet dubitandi rationem, nimirum quia si ita non esset, nullo modo permitterent Summi Pontifices per tot annos adeò continuatam nominationem, seu supplicationem Regum Lusitaniorum, ita vt iam transiret in consuetudinem, quæ, vt supra probaui, æquiparatur priuilegio. Addis præterea adulteratam Concilij authoritatem, & Rotæ decisionem, quæ omnia iam falsa omninò supra ostendi. Quibus adiungere possumus eiusdem Concilij verba sess. 24. de reform. cap. 1. quæ sic habent: *Omnes verò & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque ius quacunque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioqui operam suam præstant, nihil in ijs pro præsenti temporum ratione innouando.* Ex quibus euidenter constat, quod Concilium non solum decernit permanere firmum quodcunque priuilegium à Sede Apostolica concessum, sed etiam quamcunque consuetudinem cum consuetudo æquiparetur priuilegio. Sicque non est opus, vt probetur priuilegium tanquam quid facti, cum probata sit consuetudo: neque contra eam aliquid euincunt exempla à te adducta, immò ex vero Tabulario Sacri Consistorij, & exemplis ex eo à nobis erutis contrarium omninò conuincitur.

39 Iterum, vt canis ad vomitum redis prætendens impugnare rationem Acugna quia possessio immemorabilis, in qua ipse fundat iuspræsentandi Regum Lusitanorum talem dici non posse asseueras; cum eius initium ab Alphonso V. cœpisse affirmemus, quod tamen, vt supra probaui, nihil concludit, quia possessio centum annorum immemorabilis dicitur apud omnes: vnde semper prædicta ratio firma, stabilisque manet, nec contra illam aliquid potest opponi.

40 Reprobas tandem illud tertium medium, ex quo *Doctores* Lusitani iuspræsentãdi ad Ecclesias Cathedrales suis Regibus competere asserunt, eo quia è manibus infidelium eas eruerunt, fundarunt, & dotarunt. Prima ratio tuæ reprobationis in eo consistit, quod deberent prædictas fundationes, & dotationes per scripturas authenticas probari iuxta decretum Concilij loco supracitato. Quid tibi mali fecit Concilium, vt addendo, vel minuendo illi imponas, quod non dixit? In primis, vt iam te monui, & ostendi Concilium loco citato non loquitur de Cathedralibus, immò de illis aliter disponit. Deindè quando agit de Parrochialibus, & alijs beneficijs minoribus sic decernit. *Vt titulus iurispatronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui authentico documento & alijs iure requisitis ostendatur: siue etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat.* Et infra. *Præsentationes etiam continuatæ non minus saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur.* Vnde etiam loquendo de Parrochialibus, falsum dicis, quia Concilium non decernit, quod titulus iurispatronatus sit ex fundatione, & dotatione simul, sed ex vna, vel altera disiunctiuè: immò addit. *Siue ex multiplicatis præsentationibus &c.* & quod præfatæ præsentationes sint continuatæ spatio quinquaginta annorum & authenticis scripturis probatæ.

41 Cumque constet, quod Ecclesiæ Cathedrales Lusitaniæ sint fundatæ, vel dotatæ ab illis Regibus, & eas à faucibus hostium eruerunt, vt satis probat Barbosa de offic. Episc. p. 1. tit. 1. cap. 3. num. 29. & sequentibus: & similiter, quod per antiquissimum temporis cursum semper præsentarunt, illis, vel illis verbis, quod nihil officit, cum, vt supra ostendi, dici debeat quæstio de nomine, nihil contra substantiam addens, vel demens, & illorum præsentationes non solum fuerunt

conti-

continuatæ, effectumque sortitæ sunt per quinquaginta tantum annos, sed etiam per centum & quinquaginta, vel amplius, vt patet ex Sacri Consistorij Tabulario, quo nihil magis authenticum, quis dubitare poterit de authoritate prædictorum Regum, nisi solus homo, aut iuris, & historiæ omninò ignarus, aut sua passione amens? Presertim cum in noua erectione Ecclesiarum fiat expressa mentio de reseruatione iurispatronatus pro Rege, vt constat ex ipso met præfato Tabulario. Sic de Ecclesia Elborensi, quando anno 1540. de Episcopatu facta fuit Archiepiscopatus. Sic de Ecclesijs Eluensi anno 1570. Malacanensi anno 1588. Goanensi eodem anno: Cochinensi eodem similiter anno. Machaonensi anno 1576. Sancti Saluatoris anno 1596. Funchalensi anno 1588. Leiriensi anno 1545. & sic de alijs quæ ibidem videre poteris. Facit etiam pro Regibus Lusitanis stylus proponendi Ecclesias in Sacro Consistorio à Cardinalibus Protectoribus Portugalliæ, quia si præfati Reges non haberent iuspatronatus dictarum Ecclesiarum non proponerentur à Protectoribus, sed per turnum ab omnibus Cardinalibus qui adessent, vt patet ex stylo, qui seruatur in proponendis Ecclesijs Neapolitanis, quæ non sunt de præsentatione Regis.

Adducis deinde exemplum Ecclesiæ Maioricanæ, quam dicis Iacobum Aragonium de Maurorum manibus eripuisse fundasse, & dotasse, & nihilominus Gregorius IX. per Sedem Apostolicam dictam Ecclesiam prouidendam censuit, cum commisit B. Raymundo de Pegnafort, vt de Pastore eam prouideret. Semper, vt te sæpius monui, in tuis exemplis, & authoritatibus adducendis, aut aperta falsitate, aut saltem amphibologia vteris. Audi igitur quid Bzouius de hoc Regis Aragonij exemplo dicat. *Eodem anno* (erat 1230.) *Gregorius Pontifex Iacobo Aragonum Regi pollicitus est Ecclesiam Cathedralem in Insula Maiorica recens à Mauris per eum recepta, erigere, & Episcopum præficere, si modo is dotem necessariam Ecclesiæ assignaret.* Ex his verbis constat primò quod præfatus Rex Ecclesiam aliquam de Maurorum manibus non eripuerit, vt tu falsò dicis, sed Insulam ipsam, in qua Ecclesiam erigere, seu fundare voluit, quod Pontifex benignè annuit, ea tamen conditione, vt dotem necessariam Ecclesiæ assignaret. Assignata tandem anno 1237. opus erat Episcopum præficere, attamen cum tunc temporis capitula suum Episcopum eligere solerent, & in præfata Ecclesia antequam erigeretur, & Episcopus crearetur, non poterat esse Capitulum, Pontifex absque vlla Regis offensione B. Raymundo, vti Ministro Apostolico electionem illius primi Episcopi commisit, supplens illud, quod faciendum erat à Capitulo, quia non dum erat creatum, non verò præsentationem Regis, quæ tunc temporis adhuc non vigebat. 42

Ex dictis patet etiam responsum ad exemplum Ferdinandi Regis Castellæ: Gregorius enim Pontifex non commisit Archiepiscopo Toletano prouisiones Ecclesiarum, vt tu solita falsitate asseris; sed confirmauit decretum Concilij Toletani 12. cap. 6. de quo agitur in cap. cum longe dist. 63. vbi decernitur, quod Episcopus Toletanus habeat potestatem confirmandi, & ordinandi Episcopos, quos Regis potestas eligat, propter rationes in dicto capite relatas, & à nobis in responsione ad tuum primum dubium satis superque discussas, & explicatas. 43

Addis præterea, quod omnes penè Ecclesiæ Hispaniarum redemptæ, & constructæ fuerunt ab eorum Regibus, vt testantur Barb. Bossius, & Valdensis locis a te citatis, licet ex parte mendosè: & tamen non nisi Carolo V. fuisse concessum ab Hadriano VI. & alijs Pontificibus indultum Apostolicum, vt præsentarent ad omnes Hispaniarum Ecclesias, pro quibus antea supplicabant. Iterum repetis, quod iam sæpe falsum esse ostendimus, nimirum differentiam esse realem inter præsentare, & supplicare, cum tamen nulla alia sit, nisi in modo loquendi, vt manifestè patet ex prouisionibus tempore trium Philipporum factis aliquando ad supplicationem, quandoquè ad præsentationem, seu nominationem, etiam post indultum Hadriani, & aliorum Pontificum. Quod non ita esset, si differentia alliqua inter præsentare, nominare, & supplicare interueniret. Et siquidem tu approbas authoritatem Barbosæ, Bossij, & Valdensis, circa fundationas Ecclesiarum Hispaniæ ab illis Regibus factas, cum illi ex eis probent potestatem præsentandi, quam etiam extendunt ad Reges Lusitanos, cur ipsis non assentiris in secundo, si eos ad- 44

mittis in primo ? Non valet consequentia . Pontifex concessit Regibus Hispaniæ potestatem præsentandi, ergo non illam habebant ex iure communi, propter fundationes, vel dotationes, aut ex possessione immemorabili, vel ex permissione, seu consuetudine: poterant enim illam habere ex præfatis tribus Capitibus, & nihilominus tamen velle Pontifices eandem speciali priuilegio ex benignitate Apostolica illis concedere, seu confirmare.

45 Deindè transis ad ius præsentandi Regum Galliæ, dicens, quod Doctores non illud referunt ad redemptionem, seu fundationem Ecclesiarum ab infidelibus ereptarum, sed ad indultum Apostolicum, seu, vt communiter dicitur, concordatam. Quidquid tamen de hoc sit, non valet consequentia, ergo etiam Reges Lusitani non possunt illud ius habere propter fundationes &c. Sit absit indultum Apostolicum; quia hoc esset ipsum ius commune destruere contrarium omninò disponens, scilicet, quod tribus de causis adquiratur ius patronatus. Prima est Ecclesiæ alicuius fundatio, siue quis eam in proprio solo suis sumptibus omninò construat, siue etiam solum, seu fundum ad eam ædificandam tantummodò donauerit. Secunda est ipsa sola constructio, sine fundi proprij assignatione, videlicet si in solo ab alijs dato ipse proprijs sumptibus Ecclesiam construxerit. Tertia est dotis, siue certi redditus assignatio Ecclesiæ facta. Ita Trident sess. 14. de reform. cap. 12. & sess. 25. cap. 9. quod probat Barb. de iur. Eccles. lib. 3. cap. 12. num. 28. & de offic. Episc. p. 1. tit. 1. num. 39. quam plurimos citans Doctores, quos ibidem videre poteris. Vnde inutile, & extra rem tuum exemplum de Regibus Galliæ ad intentum tuum probandum venit. Non minus inutile est exemplum Regum Poloniæ, quod a Barbosa emendicasti, tacens semper Lusitanos Reges, de quibus ille expressam facit mentionem propter easdem rationes.

46 Denique recurris ad id, cui iam respondi, videlicet, quod plures Ecclesias è manibus infidelium redemerunt, & fundarunt Lusitani Reges, & tamen Alphonsus V. fuit primus, qui habuit iuspatronatus, seu potestatem præsentandi ad Ecclesias Cathedrales: Ex quo infers non sufficere ad ius præsentandi acquirendum fundasse, & dotasse Ecclesias, nisi accedat speciale, Sedis Apostolicæ indultum.

47 Hæc illatio, vt iam dixi, est expressè contra ius commune, & Decretum Concilij supracitatum, vbi post abrogationem aliquorum iurium patronatus expressè excipit patronatum, seu ius præsentandi ad Ecclesias Cathedrales, & etiam illas, quæ ad Imperatorem, & Reges, seu Regna possidentes, aliosque supremos Principes iura Imperij in dominijs suis habentes, pertinent: non ne legisti verba Barbosæ supracitato num. 29.? *Ex generali* (inquit) *iuris communis concessione, qua construentibus, aut dotantibus Ecclesias conceditur potestas præsentandi ad easdem, videtur hoc ius Principibus Hispaniæ, & Lusitaniæ competere, vt voluit Archidiac. in cap. Electio. 12. dist. & post. Bald. & alios Palat. in introd. rubr. de donat. inter virum & uxorem num.* 24. & plures alij, quos ibidem videre poteris.

48 Addis præterea ad illud, quod semel, & iterum reprobatum est, quod Tabularij Consistorialis authoritas conuincit, nunquam scilicet Regibus Lusitanis concessum fuisse indultum Apostolicum: cum tibi ostenderim ex ipso met Tabulario plures Ecclesias fuisse erectas cum expressa reseruatione iurispatronatus pro Regibus. Sed demus etiam, quod præfati Reges Lusitani dictam reseruationem expressè non fecerint; Ausculta, quid in hoc casu decernat Rota 2. p. tom. 2. decis. recent. in vna Mediol. iurispatr. 3. Aprilis 1615. coram Pirouano. *Eo ipso, quod quis costruit beneficium cum authoritate Ordinarij, nullum dubium est, quod acquirit iuspatronatus in illo, etiam quod expressè sibi non reseruauerit iuspatronatus, vt affirmant Ioan. Andr. Cardin. Butr. & alij per Felin. relati in cap. Significauit num. 2. de test. Rota decis. 5. de iur. patr. in antiquis: reprobata opinione Lamberti eodem tit. lib. 1. p. 1. q. 2. art. 4. num. 14. Rota decis. 167. num. 4. p. 2. diuersorum & sæpe in alijs causis Rota secuta est hanc opinionem. Et in præcitata decisione 167. num 2. sic decernit. Est receptissima conclusio, vt fundans, Construens, vel dotans Ecclesiam acquirat iuspatronatus, etiam si illud non reseruauerit, dummodo expressè illud non remiserit. Ioan. Andr. Cardin. Butr. Bald. Imola Abbas Aretin. Felin.* & plures alii, quos ibidem videre poteris. Sed sic est, quod Reges Lusitani fundarunt, construxerunt, vel dotarunt omnes

nes penè Ecclesias suorum Regnorum, vt est notum, & probat Barbosa de offic. Episc. p. 1. tit. 1. cap. 3. num. 34. & Bossius de signis Ecclesiæ supracitatus, & illas erexerunt authoritate ordinarij, idest Summorum Pontificum, sine qua nulla Ecclesia Cathedralis erigi potest, & cum expressa reseruatione iurispatronatus pro se in aliquibus, in reliquis verò absque expressa remissione, seu renunciatione prædicti iuris: Ergo quis negare potest præfatum indultum Apostolicum illis fuisse concessum, siue permissum? præsertim cum iuspatronatus ex priuilegio Apostolico præsumatur fundatum, quando vltra temporis antiquitatem concurrerit obseruancia præsentationum, Rota decis. 53. num. 2. p. recent. Vndè cum negare non possis, immò fateris a tempore Alphonsi V, quod centum, & quinquaginta annos, seu amplius excedit, cum obseruantia præsentationum, seu nominationum Reges Lusitanos semper præsentasse, vel nominasse, quare non te pudet affirmare tale indultum præfatis Regibus non fuisse concessum, vel saltē per missū?

49 Vt nullum non motum relinquas lapidem, ad tuum contra Lusitanos euomendum venenum, ad aliam dementiam recurris: non negans iam Lusitanos Reges fundasse, & dotasse Ecclesias, sed hoc non gratis fecisse, & voluntariè affirmans, sed ex iustitia, & Sedis Apostolicæ compensatione, quæ hoc onere illis concessit posse infideles suis terris, & prouincijs ex poliare, & etiam pro illis expugnandis decimarum Ecclesiasticarum subsidia contulerunt. Quis tibi hanc contentionem inter Pontifices, & Lusitanos Reges reuelauit? Quis nam Poutifex illud onus eis imposuisse tibi affirmauit? Si ignorabas illius temporis rerum statum quid de illis agere intentasti, quæ omninò nesciebas? Super vna veritate, videlicet, quòd nullus Princeps sine Apostolicæ Sedis venia (vt tu dicis, seu magis latinè, facultate) possit expoliare infideles suis terris, fundas duo mendacia, vnum scilicet, quod Reges Lusitani infideles suis terris expoliarunt; alterum, quod Pontifices pro illis expugnandis decimarum subsidia concesserunt. Ausculta historiæ veritatem, & videbis tuam ignorantiam, si non sis de eis, qui oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt.

50 Lusitania, quemadmodum & cætera Hispaniæ Regna Gotorum Regum dominio olim subiacebat. Venerunt ex Africa Mahometani contra vniuersam Hispaniam, & vniuersa illa Regna armis suis contra omne ius subiugarunt. Tunc illi pauci habitatores, qui ex præfata clade, & euersione remanserunt, paulatim (Deo adiuuante) multorum annorum cursu sua Regna, & terras recuperarunt, perfidis hostibus partim occisis, partim ve fugatis, seu inseruitutem redactis. Hac supposita historiæ veritate, dicas mihi ingenuè, ad quid venia, vt tu malus gramaticus asseris, seu propriè licentia, vel facultas Apostolicæ Sedis illis nationalibus necessaria erat ad recuperandum, quod suum fuerat, & a quo iniustè, ac tyrannicè fuerunt expoliati. Adhuc post toc studij annos regulam iuris, quod licet vim vi repellere, ignorabas? nesciebas (vir Theologiam professus) quod potest quilibet quod suum est, è manibus latronis etiam per vim eripere, si aliter illud obtinere non valet? Quomodo ergo Lusitani non poterant sine Sedis Apostolicæ facultate Mauros è Lusitania expellere, suasque terras recuperare? Addisce, Amice, addisce, iterum precor, antequam tales excites quæstiones.

51 Si autem confugere velis ad expugnationes Indiæ Orientalis, Africæ, & Americæ, non minus te latuit historiæ veritas, putasti enim absque dubio, quod Lusitani præfatas expugnationes intentarunt, quemadmodum illæ Occidentalium Indiarum intentatæ fuerunt, ad occidendos illos miseros Indos, eos bonis, & vita exquisitissimis priuantes tormentis: sed falleris, per lege inter cæteros Ioannem Maffeum Authorem Italum, ac proinde non suspectum, virum religiosum, probatæque virtutis, & scies quia Lulrani non deprædandi causa, non occidendi, non destruendi, non Principes suis statibus priuandi sed fidei Catholicæ prædicandæ, infideles ad gremium Ecclesiæ reducendi, tot maria nauigarunt, tot periculis se exposuerūt, tot expēsas, secrūte, torque labores sunt perpessi. Adhūc autē tam Sanctum consequendum finem, amicitiam, ac fraternitatem infidelium Principum procurarunt, illisque reciprocum comertium, vt faciliùs allicerentur, obtulerunt, Ciuitates verò, & Arces, quas postea obtinuerunt, non fuerunt ablatæ, seu ereptæ

illis nationibus , ſed ſuis ſumptibus fabricatæ . Cumque per multarum leucarum
ſpatium dilatarentur opus erat , vt tum ipſi , tum noui fideles ad fidem conuerſi
Paſtores haberent, à quibus ſpiritualiter paſcerentur: & ideo à Summis Pontifici-
bus obtinuerunt , vt Eccleſiæ Cathedrales in ipſis terris erigerentur , quas Reges,
non ſolum conſtruxerunt, ſed etiam ipſis Paſtoribus , ſeu Epiſcopis annuam pen-
ſionem ſufficientem ad ſuam ſuſtentationem conſignarunt:immò & omnibus Mo-
naſterijs religioſorum, iuxta ipſorum numerum ſimiles penſiones ſtatuerunt, quæ
Luſitana lingua Ordinariæ appellantur:& ideo Summi Pontifices decimarum ſub-
ſidia contulerunt , non ex pacto , ſeu conuentione , vt tu dicis, quod Cathedrales
fundaſſent , & Ordinatio ad Romanum Pontificem pertineret ; quia hoc ſemper
ſeruandum erat cum reſeruatione tamen iuriſpatronatus , vt videre poteris apud
Tabularium Sacri Conſiſtorij, quod te iactas aperuiſſe .

Tua præfata mendacia duobus exemplis confirmare niteris , vno ſcilicet, Gre-
52 gorij IX. cum Ferdinando Luſitano , cui, vt tu dicis, præfatus Pontifex inuaden-
dendi terras Agarenorum copiam fecit, ea tamen lege, vt in illis Cathedrales eri-
geret à Sede Apoſtolica ordinandas . In duobus peccat hoc exemplum , de falſi-
tateque conuincitur : Primo quia in Luſitania non regnauit niſi vnicus Ferdinan-
dus: hic autem nullum bellum mouit contra Agarenos , non in Regno, quia tunc
temporis iam omnes à plurimis annis erant expulſi: non extra,quia primus ex Re-
gibus Luſitanis, qui bellum intulit Agarenis fuit Ioannes I. ſucceſſor Ferdinandi,
vnde nonpoterat iſte poſtulare a Gregorio talem facultatem, maximè, quia præ-
fati Pontifex , & Rex diuerſiſſimis temporibus regnarunt , ille videlicet ab anno
1227. vſque ad annum 1241. iſte verò ab anno 1367. vſque ad annum 1383. Quid
dicis ad hoc ? Proterua ſanè eſt tua impudentia tam frequenter conuicta ; ſed de-
mus, quod præfati Pontifex, & Rex eodem tempore ſimul concurrerent, quomo-
do poterat ille ea lege licentiam præfatam huic concedere , cum illis temporibus
electiones Epiſcoporum ad Capitula Cathedralium pertinerent , & non niſi à Be-
nedicto XII. Sedi Apoſtolicæ fuerunt reſeruatæ, vt ſupra aduertimus . Tandem,vt
mendacium tuum omnibus innoteſcat , ſciendum eſt iſtum Ferdinandum quem
tu dicis concurriſſe cum Gregorio IX. non fuiſſe Regem Luſitaniæ , vt tu menda-
citer ſupponis , ſed fratrem Regis : hic autem propter nonnulla ſcelera atrociter
commiſſa anathemate percuſſus fuerat à præfato Pontifice Gregorio : attamen ad
meliorem frugem redactus à Pontifice poſtulauit , vt ſibi ſalutarem imponeret
pœnitentiam: quam quidem Pontifex illi impoſuit,& inter cætera,vt contra Mau-
ros infeſtantes Regnum Aragonium per tres annos in manu forti pro modo ſua-
rum virium præliaret,illoſque expugnare procuraſſet, maximè in frontaria Regni
Portugalliæ: ita Odoricus Raynaldus tom. 13. anno 1239. num. 63.

Alterum exemplum eſt Benedicti XII. qui Regi Alphonſo terras Maurorum
53 conceſſit capeſſendas eiſdem oneribus . Cumque huius nominis quinque in Luſi-
tania regnaſſent, & tu non exprimas dequo loquaris , neceſſe eſt videre, quis nam
ex iſtis cum præfato Benedicto concurrerit . Nonprimus, non ſecundus, non ter-
tius , quia omnes iſti tres per plurimos annos ante Benedictum regnarunt : non
quintus , licet enim in Africam contra Sarracenos transfretaret , hoc fuit anno
1458. Benedictus autem anno 1342. deſijt eſſe inter viuos . Reſtat igitur ſolus
Alphonſus IV.qui abſque dubio concurrit cum Benedicto,ſed quæ bella dictus Al-
phonſus cum Agarenis capeſſeret, non conſtat : immò veriſſimum eſt, quod nulla
cum illis habuiſſet ; Conſtat tamen quod in auxilium Alphonſi Regis Caſtellæ ſui
generi copioſum duxerit exercitum contra Sarracenos , Bethicos , & Africanos ,
quibus victis , *E tanta preda* (inquit Vaſconcellius in Alphonſum IV.) *libentiſſimè*
a genere oblata reliquum fecit præter vnam Numinis gloriam, ad quam ſolitus erat, velu-
ti ad ſcoptum collimare . Cum ergò dictus Alphonſus nullas Agarenorum terras in-
uaderet , quomodo præfatam licentiam à Benedicto poſtulauit , & iſte præfatis
oneribus eam ipſi conceſſit ?

54 Si verò præfatam ſupplicationem factam à prædicto Rege dicto Benedicto XII.
poſt partam victoriam a Sarracenis intelligis,quandò ſcilicet fuit in auxilium Al-
phonſi ſui generi, cur taces , quod Pontifex non conceſſit Luſitano , vt terras Sar-
raceno-

racenorum inuaderet ea conditione & pacto, vt Ecclesias ædificaret, & in compensationem illi decimas Ecclesiasticas attribueret: sed tantummodo pro expẽsis iam factis in auxilium Regis Castellæ, & si opus esset, faciendis, biennales tantum decimas concessit illi. Hoc est quod refert Odoricus anno 1341. num. 4. & 5. asserens dictam concessionem biennalium decimarum factam fuisse dicto Regi certis conditionibus, inter quas vna erat de erigendis Ecclesijs in locis a Sarracenis ereptis, nihil tamen de Cathedralibus agens, minusque de earum prouisionibus.

Ex his, & superioribus mendacijs epilogo concludis nullum remanere Lusitanis confugium pro suorum Regum iurepatronatus propugnando: quia nulla præsumptio priuilegij, sed solum vsurpationis ex Concilio: nulla immemorabilis possessio ex Tabulario Consistoriali conuincitur: nullum denique ius commune ex Pontificum testimonijs. Ad quæ deliria iam satis superque (licet responsione indigna) respondimus, immò & eadem falsitatis, ac dementiæ conuicimus. 55

Parce mihi, Amice, non enim possum à tanto mendaciorum cumulo, quot in hac tua Apologetica Epistola congessisti te liberare. Concludis hoc tuum primum motiuum dicens, quod vides non nullos; qui manus dantes præsidium quærunt pro Lusitana coronà ex diuturna possessione, exquo Reges Catholici illam sunt adepti, quia omnes præsentarunt dictas Ecclesias Sede Apostolica consentiente. Et nonnulla consumis folia in probando Reges Catholicos non præsentasse Lusitanas Ecclesias ex taciti vi consensus, sed ex vi priuilegij amplissimi ab Hadriano, & alijs Pontificibus, quò ad omnes Hispaniæ Ecclesias Carolo V. specialiter concessi. Et hanc conclusionem pro parte affirmatiua ex eo probare niteris, quod præfatum priuilegium debebat etiam ad augmentum Coronæ Hispaniæ extendi. Cumque Lusitania fuisset adiecta præfatæ Coronæ, poterant Reges Catholici Ecclesias Lusitanas, quemadmodum cæteras Hispaniæ præsentare. 56

Quis tibi reuelauit, quod Lusitani dantes manus tale quærunt præsidium. Vtrunque euidenter constat falsum, neque enim dant manus neque tale præsidium quærunt. Non primum quia probant (vt iam tibi satis ostendi) Lusitanos Reges saltem a tempore Alponsi V. vsque ad Henricum per spatium centum & quinquaginta annorum & amplius, hoc vel illo modo, nominando scilicet, vel supplicando semper præsentasse. Non secundum, quia modò non prætendunt præsentare, pro vt præsentabant Reges Catholici, sed eo modo quo præsentabant veteres Lusitaniæ Reges. 57

Hic autem modus, vt ex supra positis patet, iuxta Sacrum Tabularium, indifferens fuit, non solum Lusitanorum Regum tempore, sed etiam post vnionem Coronæ Lusitanæ ad Hispanicam: aliquando enim ad nominationem, quandoque ad supplicationem, seu ad præsentationem Lusitanæ Ecclesiæ prouidebantur: vnde manifestè conuincitur, vt iam supra monstraui, hos diuersos modos non differre in re, seu in substantia, sed tantum in verbis: alioquin Reges Catholici in suis præsentationibus non vterentur iam vno, iam altero vocabulo, sed semper vno, & eodem, quod tamen non egerunt, vt vidisti in exemplis supra allatis siquidem in vna eademque Ecclesia modò nominabant, modò supplicabant, & aliquãdo proprios præsentatos Pontificibus exhibebant. 58

Ad probationes non solum inutiles, sed inutiliter etiam adductas, quibus probare niteris, quod priuilegia Carolo V. concessa poterant, & debebant ad Ecclesias Lusitanas extendi post vnionem ad Coronam Hispaniæ, vnicum tantum dico verbum, non quia ex eo aliquid contra Lusitanos resultet, cum non prætendant in præsentiarum aliquid iuris sibi acquirere ex modo, quo præsentabant Reges Catholici, ex virtute præfatorum priuilegiorum, sed vt tuam ignorantiam tibi cognoscere faciam. 59

Illud autem est, quod licet Lusitana Corona a Philippo II. Hispaniæ vniretur, diuerso tamen modo ab alijs Regnis Hispaniæ vnitis. Illa enim erant veluti Prouinciæ quædam sub dominio tamen vnius Regis, ita vt Rex Catholicus indifferenter prouideret, & præficeret personas ex quocunque Regno, seu natione sibi subiecta absque vllo discrimine, etiam ad Ecclesias Cathedrales, ita vt dici posset vnum tantum Regnum ex varijs prouincijs constans. In Lusitania autem aliter 60

se res

se res habebat: Lusitani enim Regem Hispaniæ non agnoscebant, sed Regem Lusitaniæ, licèt nanque persona esset eadem, non tamen vti Hispaniæ, sed vti Lusitaniæ Rex, Regnum illud gubernabat: & tum ad Ecclesias, tum ad cætera munera non poterat de personis aliorum Nationum prouidère, sed tantum de Lusitanis. Et quod magis est nec litteras, nec patentes, nec alia decreta, in Lusitaniam mittere poterat, nisi Lusitana lingua scripta, & subscripta, ac sigillo Regum Lusitanorum sigillata. Nuncius etiam Apostolicus Hispaniæ nihil authoritatis in Lusitania habebat, similiter & Inquisitor Generalis, vtrunque enim proprium habebat Lusitania. Et quid amplius? Quod ad rem nostram facit, quando in Sacro Consistorio aliquis nominatus a Rege ad Episcopatum proponebatur, non illum proponebat Cardinalis Protector Hispaniæ, quemadmodum pro alijs Ecclesiis cuiuscunque Regni Regi Catholico subiecti, sed Protector Cardinalis Lusitaniæ: nec dicebat, proponit Rex Hispaniæ, vel Rex Catholicus nō absolutè, sed Rex Catholicus vti Portugalliæ. Ergo bene valet consequentia, quod non præsentabat, seu nominabat, vti successor Caroli V. cui tu dicis concessum fuisse dictum priuilegium, sed tanquam successor Regum Lusitanorum; ac per consequens, quod non illi præstabat authoritatem, priuilegium Carolo concessum, & successoribus eius, siquidem non tanquam successor illius Ecclesias Lusitanas præsentabat. In re satis nota mitto Authores, sufficiantque succinta Thomæ Bosij verba de sign. Eccles. lib. 8. sign. 32. cap. 1. *Lusitania* (inquit) *licèt post M. D. LXXXI. proprium suæ nationis Regem non habeat propria tamen iura tuetur, ac leges: neque quas oras longissimè positas sibi peperit, & acquisiuit, vllo modo amisit, aut illæ alijs Regnis attributa sunt.* Vides ne iam tuam ignorantiam? fateri enim cogeris hæc omnia ignorasse, cum tempus, & chartam perdidisti in probando quod Reges Catholici post vnionem Coronæ Lusitanæ præsentabant ad Ecclesias Cathedrales dictæ Coronæ virtute priuilegij Carolo, & successoribus ab Hadriano concessi.

61 Concludis tandem hoc primum motiuum dicens, etiam si daretur Reges Catholicos ex vi taciti consensus Sedis Apostolicæ præsentasse, illum tamen nullo pacto suffragari posse Duci Brigantiæ: Rationem autem huius conclusionis reddēs, in eo sitam esse decernis, quod præsumi non potest Apostolicam Sedem talem consensum extendere voluisse ad successores violentos, & rebelles Regum Castellæ, vt est hodie Dux Brigantiæ: quia ius resistit, nè quis violenter, & propria authoritate ius sibi dicat, & apprehendat, quod Rex Catholicus iustè, pacificè, & authore Prætore possidebat.

62 Ad hanc tuam vltimam Conclusionē nihil aliud duxi respondendū, nisi quod rectè diceres, si probasses. Proba igitur, quod Dux Brigantiæ sit successor violentus, & rebellis in recuperatione Lusitanæ Coronæ: similiterque, quod Rex Catholicus iustè, pacificè, & authore Prætore eam possideret, & non solum dabo tibi manus, sed victum & conuictum coram toto terrarum Orbe me publicè fatebor. Attamen iam tibi in principio dixi, quod nec tu, nec Collegæ tui tecum, nec aliquis alius vsque modo tale probauistis, nec vnquam probare valebitis: cum aduersarij vestri luce meridiana clariùs ius Brigantini Ducis ad præfatam Coronam non solum probauerint, sed vendicationem, & possessionem non propria authoritate apprehensam, sed à Iudice, seu Prætore (vt tuo vtar vocabulo) competenti iustè iudicatam ex legibus vniuersalibus, & particularibus ipsius Regni iustificauerint. Lege præter cæteros quid de hac controuersia scripserit D. Antonius Betancor in suo Anti Diana, & videbis, quo iure Reges Catholici Lusitanum Regnum possidebant, & qua iustitia, quo re Prætore idem Serenissimus Ioannes IV. possedit.

Secun-

Secundum tuum motiuum est.

Quia esto haberet ius supplicandi pro Ecclesijs Portugalliæ, & ius præsentandi pro illis Indiæ Orientalis, adhuc hodie propter circunstantias præsentes admitti non possunt canonicè, nec præsentationes, nec supplicationes illius.

HOc, vt probes mittis in primis (vt asseris) in quæstionem vocare, an Corona Lusitaniæ ius habeat præsentandi Ecclesias Indiæ Orientalis, quia non ubi opus est id impugnare, cum ea sit hodiè rerum conditio, vt esto concederes habere Coronam illam iuspræsentandi ad præfatas Ecclesias, immò ad ipsas Lusitaniæ, tamen tot exceptiones concurrere in Duce Brigantiæ, vt in nullo suffragari illi posset, nec spectatis Sacris Canonibus, & Concilijs admitti vllatenus possent: omnes enim conditiones, quæ omninò requiruntur, vt præsentationes cuiuslibet Patroni legitimè admittantur, in præsenti casu desiderantur. 1

Deindè enumeras conditiones ipsas, quas quatuor esse dicis. Et primam quidem, vt quis possideat pacificè, saltem per triennium fundum illum, in quo radicatur ipsum iuspatronatus: cum enim hoc sit fructus fundi, cui non competit pacificè fundus, nec fructus illius competere consequenter potest. Hanc conditionem, vt probes, adducis Clem. 1. de sequestr. & ibidem Glossa verbo, Triennio, Cap. Commissa de elect. in 6. vbi Glossa verb. Pacificum, & DD. communiter apud Garz. de beneficijs p. 11. cap. 15. num. 206. 2

Quod ad citationem Clementinæ pertinet, falsissimè eam citas, non enim ibi agitur de iurepatronatus, nec de fundo, in quo ipsum ius radicatur: sed de sequestratione facienda, vel non facienda, & dicit Papa, quod, ad compescendas litigantium malitias, obtenta iam vna definitiua per Sedem Apostolicam contra possessorem, si ipse possessor per triennium antea pacificè non possederit, per loci Ordinarium apud aliquam personam idoneam, sequestretur. Glossa autem a te citata sic asserit. *Ista duo requiruntur, nè sequestratio fiat: quod triennio sit possessum, & quod pacificè.* Præter quam quod dictus textus sit omninò extra lineam, nihilque habeat simile cum casu præsenti, ratione cuius possit ipsi applicari, est expresse contra te. Primò, quia causa, quæ mouit Pontificem ad ita decernendum, fundatur expresse in vna definitiua per Sedem Apostolicam contra possessorem. Assigna igitur quisnam fuerit hic Pontifex, qui hanc diffinitiuam contra Regem Ioannem possessorem pronunciauerit: sed cum constet, quod nullus, apertè conuincitur, quod deficiat textus in nostro casu, deficiente causa motiua, & fundamentali illius. Secundo, quia Papa iubet, quod non fiat sequestratio, si possessor, licèt habeat contra se vnam diffinitiuam, triennio possederit. Rex autem Ioannes (quod tu fateris) per quindecim annos possedit. Tertio, quia dixit Papa possessionem triennalem debere esse pacificam: quid autem sit pacificè possidere, statim te docebo, siquidem post tot studiorum elapsos annos adhuc tamen hec ignoras. 3

Secunda probatio ex Cap. Commissa de elect. in 6. non minùs est extra rem, quia casus est omninò dissimilis. Quidam cum adhuc non esset ordinatus prouisus fuit de certa Ecclesia Curata, facta eidem facultate, vt posset possessionem statim sumere, licèt non esset promotus ad Ordines, dummodò tamen intra annum promoueretur, dicit igitur Papa in dicto capite *quod præfatus annus, qui a tempore illo incepit* (sunt formalia textus verba) *quod ipsius Ecclesiæ regimen commissum illi extitit, & possessionem pacificam, vel per ipsum non stetit, quo minus illam haberet, ipsi non currit si promoueri iusto impedimento detentus intra tempus huiusmodi nequiuit.* Quid igitur ex hoc textu contra Regem Lusitaniæ eruitur? Immò est omninò contra te: demus enim, quod possessionem pacificam non habet, attamen per illum non stetit quin illam haberet, quod iuxta textum sufficit. Sed quæ similitudo ex hoc casu cum possessione fundi in quo radicatur iuspatronatus? Addisce, Amice, nè tibi dicatur: Ne sutor vltra crepidam. 4

Tertia probatio ex Garz. & DD. ab ipso citatis p. 11. cap. 5. non 15. num. 105. 5

non 106. vt tu falsò citas, (concedo fuisse Amanuensis errorem) est hominis, non
iam passione cæci, sed omnino insensati. Vocemus dictum Garziam ad examen,
& audiamus quid, & contra quem deponat. *Vbi aliquis* (inquit) *est in possessione
beneficij, licet sibi moueatur lis super beneficio, tamen videtur pacificam possessionem ha-
bere, quia ad hoc, vt aliquis videatur pacificam possessionem habere, sufficit, quod de facto
possideat, licet super iure sibi controuersia moueatur.* Iisdemmet verbis deponit Rota
decis. 3. alias 36. in antiquis de causa possessionis, & de præbend. decis. 3. alias
61. in nouis. Vnde Mascard. concl. 183. num. 6. & 48. tenet expresse requiri tan-
tummodò annalem possessionem, vt quis dicatur pacificè possidere, per ea quæ
tradit Felin. in cap. In nostra num. 33. de rescript. Rationem fundamentalem
huius resolutionis tradit idem Garzia dicta p. 11. cap. 3. §. 4. num. 324. quia ex
actu etiam nullo acquiritur possessio: & num 325. addit, quod capiens possessio-
nem etiam sine titulo, & collatione, est in trusus, & sic possessio est iniusta, & illi-
cita, non tamen nulla. Quid dicis ad hoc? optimos textus, optimosque Docto-
res adduxisti in defensionem iurium Regis Ioannis, vnde ipse meritò dicere po-
terat. Salutem ex inimicis nostris, & demanu omnium, qui oderunt nos.
6 Deueniendo igitur ad tuam huius primæ conditionis applicationem, quid pro-
derit tuo Regi, tum Regni, tum iurispatronatus possessioni Lusitanorum resiste-
re? quid bello, scriptis, protestationibus, & iugibus instantijs apud Sedem Apo-
stolicam vrgere, nè Lusitanum Legatum, aut præsentationes admittat, immò vt
etiam censuris, & anathemate illud Regnum perstringat? Potest ne Sanctissimus
D. Alexander VII. præcitata iura, vt tu, ignorare? Si autem illa non ignorat, vt
certissimam est, quomodo persuadere niteris, quod contra mentem Sanctissimi Pa-
tris omninò pugnat? Sed, proh dolor, præsentis temporis calamitas tibi forsan
freneticè persuasit, vt propter temporalem politicam posset Sanctissimus Pastor
proprias oues non solum non agnoscere, contra Diuini Pastoris præceptum quan-
do illas Petro commisit, sed etiam easdem à se reijcere, tanquam si suæ non es-
sent. Tu autem falleris, Sanctissimus enim Pastor, non solum ad caulas, sed ad
pascua quoque Lusitanas oues, etiam inuitis aduersarijs debet admittere, cum
ignorare non possit quid per Prophetam pastoribus Israel comminetur Deus. Im-
7 mò si oportuerit pro illis animã suã absque vllo minarũ timore intrepidè dabit.
Secunda tua conditio est dummodò possideat pacificè præter fundum, etiam
præsentationem, seu iuspræsentandi affixum fundo: vnde si possidens fundum pa-
cifice, habeat tamen contradictorem legitimum circa ius præsentandi, non est ad-
mittenda eius præsentatio, quousque constet de eius bono iure: quæ quidem con-
ditio falsitatis etiam conuincitur, quod vt probem, non quæro iam exquibus nam
iuribus dictam conditionem eruisti, cum fatearis ex cap. Ex litteris de iurepa-
tronatus eam desumpsisse. Adducamus igitur in indicium præfatum textum, vt
de veritate, vel falsitate tua fideliter deponat.
8 Sic igitur deponit. *Monasterium locauit cuidam militi villam; cui competebat ius-
patronatus, cuius virtute miles præsentauit. G. Postea Abbatissa præfati Monasterij præ-
sentauit. V. Episcopus illius Diæcesis instituit. G. præsentatum a milite: attamen Ar-
chiepiscopus Sabrabanen. repudiauit præsentatum a milite, Episcopus verò scripsit Papæ,
qui mandauit, quod si constiterit, quod militi villa fuerit concessa, non excepto iure patro-
natus adiudicent Ecclesiam præsentato a milite.* Qua ergo fronte asseris Pontificem
rescripsisse Episcopo, quod constito de discordia reijceret præsentationem militis?
Vbi talia verba inuenisti, cum Pontifex non solum non mandet præsentationem
militis reijcere, sed expresse præcipiat, quod si non constet de reseruatione iuris-
patronatus facta à Monasterio, quando militi villam locauit, instituatur eius præ-
sentatus? Vnde apertè euincitur possessionem villæ, seu fundi, in quo situm est
ius patronatus, adeò esse priuilegiatam, vt si non fiat expressa mentio reseruatio-
nis iurispatronatus, semper dictum ius sequitur possessorem fundi.
9 Immò Patronus putatiuus debet præsentare, & non alius, qui caret possessione,
licet bonum ius habeat ad proprietatem. Ita per textum in cap. Consultationi-
bus de iur. patr. resoluunt Roch. de Curt. verb. Competens q. 9. num. 39. cum
seqq. Guter. cons. 4. num 34. Gonzal. ad reg. Cancel. 8. Glossa 45. §. 2. num. 6.
Salgad.

Salgad. de protect. Reg. tom. 1. p. 3. cap. 10. num. 3. cum seqq. Rota decis. 167. num. 7. p. 2. diuers. Tandem Barbos. de iur. Ecl. lib. 3. cap. 12. num. 185.

Addit præterea Garz. de benefic. p. 5. cap. 5. num. 9. quod sufficit quem esse 10
possessorem iurispatronatus in consequentiam, & non principaliter, vt possit validè præsentare. Vnde bonæ fidei possessor alicuius castri, seu villæ, vel comitatus, ratione cuius competit iuspræsentandi ad Ecclesiam, licèt nunquam antea præsentauerit; potest præsentare, quia dignitas, seu Castrum, vel Comitatus videtur hoc iuspræsentandi semper retinuisse. Ita Rota decis. 1. de iur. patr. alias 140. in nouis, & plures alij, quos ibidem citat.

Vltra quæ progreditur Rota de iur. patr. decis. 7. in nouis. num. 1. quod Col- 11
latio, siue præsentatio facta per possessorem etiam violentum, de cuius violentia, siue mala fide apertè non constat, valet, & tenet: quia prædo etiam tuendus est in possessione. Cap. cum litteris de restit. spoliat. & rationem à priori reddit Rota decis. 1. Bisegneti de restit. spoliat. num. 7. quia iustum, & iniustum non diuersificant essentiam possessionis. Arg. l. 3. 5. Incontrario in fine ff. de acquir. possess.

Quibus positis euidēter constat secundam conditionem a te propositam fictam
omninò esse, vtpotè contrariam iuri, & Doctoribus, atque decisionibus Sacræ Ro- 12
tæ. Qui omnes oppositum docent, vt tibi satis ostendi: licèt enim quod requiratur, vt qui debet præsentare, sit in possessione pacifica: ad hoc sufficit, quod possideat, quanuis nunquam præsentauerit, quia, vt dicunt Garz. & Rota supracitati, dignitas, seu castrum semper retinuerunt iuspræsentandi, etiam si possessor sit violentus, & iniustus, ac etiam malæ fidei, dummodo de prædictis violentia, ac mala fide apertè non constet. Quod autem in nostro casu de mala fide ac violentia Regis Ioannis non constet, est perse notum, immò constat de optima fide, vt videre poteris apud supracitatos Doctores, qui pro ipso scripsere.

Et licèt ex dictis satis conuincaris, non possum tibi non improperare falsitatem 13
adeò euidentem, vt proferas, quod Vrbanus VIII. admisit præsentationes Regis Catholici ad Ecclesias Lusitanas, etiam post ereptum sibi Regnum; quod dicis compertum esse omnibus. Qui (quæro) sunt isti omnes? vnum tantum ex illis mihi nomina, & dabo tibi manus. O quanto melius tibi foret tacere, quam tam mendaciter loqui: pudeat, Amice, pudeat, iterum dico, te loquacitatis tuæ, ne fatuus, & impudens ab istis omnibus habearis.

Tertiam conditionē ex eo eruisti, quod iam dixeras in principio dubij primi, 14
videlicet, quod quæstio debet esse definita intra quadrimestre, vt habetur in cap. Quoniam de iurepatronatus. Iam satis superque huic conditioni respondi, tibi euidenter ostendens, quod non intelligabatur, nec intelligi poterat de Ecclesijs Cathedralibus, immò nec de alijs beneficijs respectu Regum Lusitanorum, qui erant in possessione, vt suis præsentatis non curreret tempus quatuor mensium, vt ex sententia lata ab Auditore Apostolico supra est ostensum. Et similiter quod inter Reges Catholicum, & Lusitanum nulla lis iuridica controuertatur, licet ex parte Catholici non deficiant lamentationes, carmina, & væ, ob depositionem illius Regni. Sed hæc non impediunt, nec impedire possunt iustitiæ cursum: quanuis enim propter temporum tenebrosas calamitates per sexdecim annos illum impedierint, piè, ac sanctè credendum est, quod perlucens noua stella in montibus sanctis, ab ipsis tanquam æternis Regnum Lusitanum, quod tot annis in tenebris, & vmbra mortis esse patienter tulit, mirabiliter illuminabit.

Quarta demum conditio a te assignata est, si ex admissione præsentationum 15
futura scandala timeri possint, tunc enim non sunt admittendæ. Hoc probare prætendis ex cap. Quoniam de iurepatronatus. Duo in præfato capite decernuntur, vnum est, quod si timeantur scandala futura, prouideat Ecclesiam, seu beneficium Episcopus se solo. Sed sciendum est ex quibus, vel interquos præfata scandala oriri possunt, vt præsentationem Patronorum impedire valeant. Audi Barbos. lib. 3. de iure Eccles. cap. 12. num. 171. ita loquentem. *Si propter plures Compatronos diuisa, uel discors præsentatio fiat, adeò ut sine scandalo non ualeat unius ex præsentatis institutio fieri, poterit Episcopus Ecclesiam, ut melius secundum Deum ei uisum fuerit ordinare: cap. Quoniam de iurepatronatus.* Vnde iam vides, si oculos mentis habes,

quod

quod quando textus præcipit, vt præsentatio non admittatur, propter scandalum futurum loquitur de Compatronis, cum discordant in præsentando, quia tunc, si Episcopus admiserit præsentatum vnius Patroni, offendit alterum Compatronum qui habet simile ius, de quo spoliatur, si instituitur alterius præsentatus: Vndè necessariò timetur scandalum: & ideo præcipit Pontifex, vt in hoc casu nullus offendatur, quod Episcopus se solo prouideat. Attamen nostra quæstio est satis diuersa, neque enim Reges Catholicus, & Lusitanus sunt Compatroni ad præsentandas Lusitanas Ecclesias, vt timeatur scandalum, si huius, non verò illius præsentationes admittantur: quia, vt iam probauimus, ille solus secundum iura, & Doctores præsentare debet, qui possidet, non verò qui non possidet, quanuis optimum ius ad proprietatem habeat, quantò magis qui nullum habet, vt à pluribus est ostensum, & nos infra quomodolibet ostendemus.

16 Ad id, quod addis, videlicet, quod Rex Catholicus omni se iure abdicauerit pro bono, & incolumitate Ecclesiarum Lusitaniæ, & ob reuerentiam, & obsequium Christi Vicarij, ad cuius pedes fasces submittit: sunt facetiæ, siue aniles fabulæ. Dicas enim mihi ingenuè, cur Philippus eius auus fasces non submisit ad Sanctissimos pedes Gregorij XIII. quando illum non solum admonuit, sed etiam per suum Legatum à Latere Cardinalem Riatium strictè præcepit, nè in Lusitaniam sua arma introduceret, sed expectaret, vt causa successionis illius Coronæ aut iudicio decideretur, aut amicabiliter componeretur. Habebat tunc Philippus quadraginta millia armatorum, & potentissimam classem naualem, & quod suis viribus comparare poterat, noluit Pontificis iudicio relinquere decidẽdum. Sed eius Nepos præfatis viribus destitutus reuerentiæ, & obsequio Christi Vicarij proijcit, ad quod tandem necessitate est compellendus. Deindè dicas etiam mihi, quæ scandala oriri poterunt in Ecclesia ex indignatione Regis Catholici? potuit nè Apostolica Sedes Friderici indignationi resistere, cum esset Romanus Imperator, Rex Siciliæ, & Neapolis, & non poterit sedare Philippi indignationem, si qua fuerit, de quo iustè dubito: Princeps enim Catholicus, Deumque timens, qualis est Philippus IV. cur Pontifici sua munera exercenti indignabitur? non ne scit ipse, aut saltem scire debet, quod non potest S. Sedes seruata iustitiæ integritate, vt ex tota hac responsione euidenter constabit, Regno, & Regi Lusitaniæ ipsam possidenti, quod iustè postulat, denegare? Cur ergo illi indignabitur? Si nihilominus indignetur, quod tamen non credo, nulla scandala ex eius indignatione oriri poterunt, & si quæ oriantur, erunt procul dubio ab eo data, non verò accepta, vt vniuersus Orbis proclamat.

17 Deinde ad caput rediens, reassumensque citatam Concilij Trid. authoritatem pro assentatoribus (vt tu petulanter asseris) Lusitani Regis, sequentem formas syllogismum. Regnum possidens non tenetur docere de titulo, & iure, quo illud possidet, ad hoc vt eius præsentationes admittantur; sed ex Concilio satis est si Regnum possideat: Ergo conditiones ad iuspræsentandi allatæ non requiruntur in Regnum possidente. Falsum finxisti pro Lusitanis argumentum, nullus enim eorum, aut aliorum, qui pro illis scripserunt, eo vtuntur. Sed, vt videas, quod etiam tuis fictionibus satisfacere nescis, ausculta ipsarum falsitatem. Rectè quidem dicerent Lusitani, quod possidens Regnum non tenetur docere de titulo, & iure quo possidet, ad hoc, vt eius præsentationes admittantur, hoc satis superque probatum manet in responsione ad tuas primam, & secundam conditiones: minor tui argumenti etiam est verissima, quia Concilium in illa reseruatione expressè excipit Regna possidentes; ac proinde consequentia colligit in forma.

18 Non nè vides cæcus, & dux cæcorum, quod Concilium excipiens Reges, & Regna possidentes, loquensque de patronatu aliorum beneficiorum dicat, quod in illis personis, de quibus præsumitur vsurpatio, requirantur pleniores, & exactiores probationes? quid ex hoc contra Reges, vel Regna possidentes respectu Ecclesiarum Cathedralium? quid vè circa hoc definit Concilium à te citatum? Illa plenior, & exactior probatio, quam requirit non comprehendit Reges, seu Regna possidentes circa Cathedrales, sed illos tantummodo, in quibus illud ius plerumque ex vsurpatione potius præsumi solet, & hoc etiam circa minora beneficia,

non

non circa Cathedrales. Et licet Barbosa a te citatus inter eos, de quibus præsu-
mitur vsurpatio nominet Infantem Portugalliæ pro Infante Hispaniæ, quem no-
minant Puteus, & Rota etiam a te citati, quid indè contra Reges eorum Infantes
non nominēt ad Cathedrales, vt supra in responsione ad tuum secundum dubium
satis ostendi, & eo maximè quia illa decisio erat Ecclesiæ Oscensis, quæ est in
Hispania Citeriori, hoc est in Regno Aragoniæ, non verò in Lusitania, vnde In-
fans ille non poterat esse Lusitanus.
Fateris, quod Concilium non se explicuerit, de qua nam possessione loqueretur, 19
turbida ne, an pacifica? vnde tanquàm de casu ommisso recurrendum esse dicis ad
ius commune: do liberè, sed quid definit præfatum ius commune? non nè audisti
ex eo, & doctoribus, quod pacificè possidere dicitur ad præsentandum, qui actu
possidet: & secundum Mascardum supracitatum, saltem per annum: quid igitur
dicendum de possidente per sexdecim annos, vt possedit Rex Lusitanus?
Ad aliam tandem Concilij explicationem confugis, volens, quod verba illa
Regna possidentes, apposita fuerint ad instantiam Reipublicæ Venetæ Regnum Cā- 20
diæ possidentis. Fateor dictam explicationem alicuius iam olim extitisse, sed meo
quidem iudicio omninò ignorantis: dicas nanque mihi, ad quid Regna possiden-
tium exceptio ad instantiam præfatæ Reipublicæ apponenda erat, si ipsa per il-
lam aliam exceptionem, videlicet, *aliosque Supremos Principes iura Imperij in suis
dominijs habentes*; clarè & distinctè absque vlla dubitatione excipiebatur? quid in-
de honoris præfatæ Reipublicæ resultabat? Non nè maior honos, ac præeminen-
tia illi accrescebat ex sublimitate, ac superioritate Principis iura Imperij haben-
tis, quam ex possessione Regni Candiæ. Si enim ex sola præfata possessione à præ-
fato Concilio exciperetur, consequens esset, quod si prædicto Regno a Turcis spo-
liaretur, prout præsentibus annis succedere poterat, nisi Deus illi misericorditer
subueniret, iam non esset excepta à Concilio, quia non possidebat. Vnde verifi-
catur, quod illa clausula *Regna possidentes*, apposita sit à Concilio ad comprehen-
dendos illos Principes, qui Regna possident, quamuis de iure cum alijs disceptent.
Ommissis tandem argumentis ex iure deductis, seu potius a te confictis pro Re- 21
ge Lusitano, alia comminisceris ab exemplis eruta: sed, antequam illorum impu-
gnationibus respondeam, amicabiliter à te quæro, cur ex decem, aut pluribus,
quæ Lusitanus Orator pro suo Rege in præfata sua oratione adduxit, vni solo, &
non aliis respondes? Quis dubitare potest, quod illis alijs conuictus, ea nescire
simulasti? Sedenim ad responsionem illius, & aliorum duorum, quæ ille non pro-
posuit, iam deueniens, non nego, quod Ferdinandus Catholicus Regnum Nauar-
ræ obtinuerit, Ioanne Albreto pulso, quia à Pontifice fuerat proscriptus: sed cau-
sam suæ proscriptionis à Ciaconio à te citato audiamus: *Ipsum etiam (inquit)
Nauarræ Regem Ioannem Albretum, vulgò de Albrit vocatum, studijs Gallorum contu-
maciter fauentem Iulius Pontifex egregiè vltus est, nam Ferdinandus Hispaniæ Rex latu-
rus Pontifici opem, exercitumque per Nauarræ fines necessariò transmissurus; Albretum,
vt Copijs in Pontificis auxilium properantibus liberum transitum daret, vehementer pre-
cabatur. Ille aliquandiù animo hærens à Ludouico Gallorum Rege tandem exoratus, ne-
glecto anathemate, quod contra omnes Pisanæ Synodi, & Galli Regis fautores iam antea
promulgatum fuerat, Ferdinandi Regis Oratore Antonio de Acugna id fieri nequaquam
posse respondet: Pontifex à Ferdinando edoctus, euaginato Sacri anathematis gladio Al-
bretum denuò ferit, ac schismaticum, Ecclesiæque rebellem pronuncians, ipsi Ferdinando,
aut cuiuis alij pellendum Regno, & priuandum exponit.*
Hac igitur narratione facti supposita, non dijudicans de potestate, immò nec 22
de actionibus præfati Pontificis, aliqua tamen in hoc casu considero. Primum,
quod Albretus, vt colligitur ex narratione Ciaconij non in odium Pontificis, sed
in fauorem Regis Galli, copijs Ferdinandi per suum Regnum liberum transitum
negauit, & Pontifex contra eum tanquàm fautorem dicti Regis sententiam tulit.
Quomodo ergo contra ipsum Regem Ludouicum, qui principalis erat hostis, si-
milem sententiam non tulit? Secundum, plures Pontifices contra non nullos Re-
ges similiter processerunt, & nihilominus tamen alij Principes non illicò contra
sic processatos, seu sententiatos à Pontificibus sua arma mouerunt, sed solus Fer-

dinandus contra Albretum ambitione potiùs, quam Zelo ductus. quis de hoc dubitare potest? Tertium, ac principale; quia licet Pontifex ipsi Ferdinando, aut cuiuis alij Albretum pellendum Regno exponere posset, non videtur tamen posse ipsum Regnum hæredibus eripere. Vnde tametsi expulsio, & priuatio Albreti esset ligitima, non tamen videtur talem fuisse possessionem Ferdinandi, & illius successorum. Ex quibus iuxta tuam sententiam, cum Reges Galli adhuc pro suo iure tanquam legitimi hæredes dicti Albreti pugnent, non potest dici, quod Reges Catholici sint possessores pacifici præfati Regni Nauarræ.

23 Tuum secundum exemplum est de Gallis, & Hispanis super Regno Neapolitano; asseris enim, quod præfatum Regnum adeptus est Ferdinandus Catholicus, annuente, & confirmante Alexandro VI. Vnde, supposito consensu, & donatione Sedis Apostolicæ, pacificè illud possedit. Examinatus igitur Ciaconius de veritate facti anno 1493. in Alexandro VI. sic deponit. *Ludouicus cum Regno Neapolitano, Insubrum quoque Imperium hæreditario iure ad se pertinere contendens (quippe cuius Auia Valentina fuerat primi Insubrum Ducis Ioannis Galeatij filia) contra Ludouicum Sfortiam, & Regem Fridericum, cum Pontifice, quem varijs officijs sibi deuinxerat, Florentinis, Venetis, & Ferdinando Hispaniæ Rege, execrabile, ac Italiæ funestum fœdus his conditionibus percussit. Vt, Principatu Mediolanensi acquisito, Cremona Venetis dederetur: & Cæsar Borgia Papæ filius, qui Sacram purpuram, ducta vxore Carolotta de Albreto Regis Nauarræ filia, & Francorum Regis propinqua, deposuerat, sociorum auxilio AEmiliam, Flamineam, Picenum, & Vmbriam veteribus dominis eiectis obtineret: Reges verò Hispaniæ, & Francorum Regnum Neapolitanum sibi diuiderent. Ingentibus igitur, & potentissimis copijs comportatis, Morus paruo labore à Ludouico Rege Mediolani Imperio exutus, & non multo post cum Ascanio fratre Cardinale captus in carcere Gallico obijt, Cremona Venetis ex fœdere cessit. Bello deinde in Regnum traducto, Fridericus Rex consternatus tantis viribus impar, hostis potiùs manifesti Ludouici XII. quam Regis affinitatis gradu sibi coniuncti Ferdinandi, misericordiam experiri voluit. Ad quem supplex professus contumeliosius, quam sperabat ab eo tractatus est. In Regni autem diuisione inter Hispanos, Gallosque discordia exorta Gallis omnibus cæsis, Regnum ad solos Hispanos, Duce magno Gonzaluo peruenit.*

24 Missis igitur, quæ attinent ad alios articulos huius fœderis, seu potiùs coniurationis, de quibus ob tantorum Principum decus satiùs duxi silere, quam loqui. Ecce, Amice, consensus, donatio, & confirmatio à Sede Apostolica facta Regi Catholico Ferdinando, ob quam constanter asseueras ipsum fuisse illius Regni pacificum possessorem. Non nè vides, quod Ferdinandus bis in iniusdue vsurpator, & tyrannus in acquirenda, & retinenda illius Regni possessione extiterit. Quo iure, qua de causa, quo ve titulo poterat Fridericum Regem sibi affinitate deuinctum suo Regno expoliare, ipsiusque filium custoditum, seu potiùs carceratum detinère, ne Regnum Patris sibi vindicaret. Audi quid idem Ciaconius de quodam Germano Senatore in vita Iulij II. referat. *Hanc Iulij (inquit) singularem fortitudinem, & in asserenda Ecclesiasticæ ditionis libertate operam fortiter præstitam cum omnes ferè laudarent, & titulum liberatoris Italiæ passim inscriberent, libera Germani probi Senatoris vox irridebat; quandoquidem Neapolitanum Regnum, quæ magna erat Italiæ, & opulenta pars Hispanum iugum sustineret. Ad quod Iulius quassato scipione, quo innalidus senex nitebatur, pauimentum pertundens: respondit facturum se breuiter, vt Neapolitani, excusso exterorum iugo, legitimis Regibus inseruirent. Cogitabat enim Alphonsum Friderici Regis filium Tarenti captum, & in Hispania custoditum in Regnum paternum, constituta cum Rege Ferdinando, haud iniqua conditione, reuocare.*

25 Sed, proh dolor, aut morte præuentus, aut impedimento aliquo detentus, illam bonam, iustam, sanctam que voluntatem non est exequutus: Regnumque ipsum Neapolitanum Regibus Catholicis subiectum permansit: nec oportet, quod Sedes Apostolica consentiret, vt præfati Reges iusti possessores haberentur, erat enim necessarium, quod iustè, ac spontaneè, non vero violenter consentiret: nam si illi iniustè possidebant, vt vniuersus Orbis conclamauit, & plurimi adhuc conclamant, quid illis profuit consensus, seu potiùs coniuratio Alexandri VI. cum cæteris Principibus contra miserum Fridericum præfati Regni legitimum, atque

hæredi-

hæreditarium Principem? vel enim ille erat tyrannus exercitio, vel ineptus; Si
primum sententia iuridica non coniuratione expellendus erat: Si secundum mul-
tò minùs, admonendus enim prius erat, & si recipisci nollet, tunc procedendum
fuerat ad vlteriora, nunquam tamen ad depositionem, si legitimus Rex esset. Sed
de his satis nè videar in Reges Hispanos inuehere velle: pro certo enim habeo, aut
saltem præsumo, illa omnia contra Fridericum olim acta fuisse inscio Ferdinando,
& quæ nunc contra Oratorem Lusitanum aguntur, inscio quoque Philippo IV.

Tertium tandem tuum exemplum, quod solum ab Oratore Lusitano fuit pro-
positum, in ipsum retorquere prætendis: multa tamen in narratione facti falsa 26
omninò, immò & aliquas contradictiones commiscens: audacter enim, nè dicam
impudenter asseueras Philippum II. de consensu Sedis Apostolicæ Regnum Lusita-
num possedisse, ex eo tantum, quod statim post illud adeptum suum Oratorem
ad Gregorium XIII. transmiserit: qui anno 1581. auditis prius Oratore, & Philip-
pi iuribus publicè in Consistorio ratam habuit eius possessionem, & Regni ade-
ptionem, antequam coronam acciperet, quam non nisi mense Aprili eiusdem
anni excepit.

Ad lydium vocemus hanc tuam narrationem, vt ex ea ipsa meridiana luce cla- 27
rius constet Regem Ioannem de Sede Apostolica iuste conqueri, iustissimèque eius
Oratorem Sanctissimo Domino, vt sui Regis iustitiam ab exemplo confirmaret,
illud proposuisse; Si enim tu ex eo asseueras Philippum de consensu Sedis Aposto-
licæ dictum Regnum possedisse, quia statim post illud adeptum transmisit suum
Oratorem ad Pontificem Gregorium: hoc idem ad vnguem seruauit Rex Ioannes:
mittens etiam ad Vrbanum Papam suum Oratorem Episcopum Lamecensem. Nec
effugies difficultatem ab exemplo, si dicas (vt supponis) quod ille fuit acceptus
à Pontifice, hic autem minimè: de hoc enim Rex, Orator, immò & totum Regnum
iustè conqueruntur, nulla nanque ratio excogitari, immò nec fingi potest, vt iu-
stum videatur admittere illum, & hunc excludere.

Probatur eadem euidentia, nam ex eo tantum, vt vniuersus Orbis proclamat, 28
Pontifices noluerunt Ioannem Lusitaniæ Regem agnoscere, quia Rex Catholicus
ipsius receptioni se opposuit, quod tu non semel in hac tua Epistola iustissimum
esse probare intendis: atqui Catharina, Antonius, Dux Sabaudiæ, Dux Parmæ,
& Galliæ Regina Philippi receptioni similiter se opposuerunt, & nihilominus hic
fuit receptus à Gregorio, cæteris exclusis: cur ergo non est admittendus Ioannes
ob oppositionem Philippi IV.? Respondebis forsan, quod illi non possidebant,
Philippi verò secundus maximè. Attamen contra, quia etiam in nostro casu Io-
annes non per paucos menses, vt Philippus, sed per sexdecim annos possedit: de-
indè illius possessio, vt potè violenta cum armis, & absque iusto titulo sumpta non
solum iniusta, sed etiam tyrranica semper extitit, vt satis, superque à pluribus est
demonstratum. Per lege saltem eos, quos supra iam citaui, & ita inuenies: vn-
dè nihil iuris ex illa possessione Catholicis Regibus resultauit: nec etiam ex men-
dacio, quod addis, asserens Gregorium ratam habuisse Philippi possessionem, an-
tequam coronam acciperet, quam non nisi mense Aprili excepit; nam licet nihil
ad rem hoc faciat, illa functio dicto mense facta conuocatio fuit Comitiorum
Generalium in Oppido Nabantia, quam quidem conuocationem iubere non po- *Vasconcel-*
terat, nisi iam Regni esset possessor, prout de facto erat: vnde tandem concludo, *lius in Phi-*
quod si Gregorius cæterique Pontifices illi succedentes iustè admiserunt Philip- *lippum*;
pi II. & successorum præsentationes, iustissimè excipiet Sanctissimus D. N. Ale-
xander quas Ioannes IV. & illius successor ipsi proposuerit; nec huic veritati vllo
modo obstant Sacri Canones, Tridentinum Concilium, ac perennis, & diuturna
Sedis Apostolicæ obseruantia, immò hæc omnia maximè illi fauent, non obstan-
tibus tuis mendacijs, & ignorantia:

Non instant Lusitani (vt tu falsò dicis) sed tu pro illis instas, quod etiam in 29
beneficialibus sola detentio naturalis cum titulo colorato satis est, vt dicatur pa-
cifica, & detur illi manutentio ex regula 26. Cancellariæ. Præuidissi quidem
quod ex iure, & Doctoribus de possessione pacifica supradiximus, & ad fugiendã
vim argumenti addidisti clausulam. *Cum titulo colorato*, & illam aliam, quod ad
haben-

habendum titulum coloratum necesse sit habere concessionem à Superiore habente potestate conferendi; hoc totum est fictum, & consequenter falsum. Vide quæ dixi in responsione ad tuas primam, & secundam conditiones, & scies, quod possessio, etiam sine vllo titulo, quanto magis colorato, licet sit iniusta & illicita nō tamen inualida, & consequenter ex vi illius potest similis possessor licitè præsentare, licet nunquam antea præsentauerit. Ad id, quod pro conclusione addis, scilicet, quod Dux Brigantiæ propria authoritate sibi arripuerit Regnum, & quod populus non potuerit illud à Rege Catholico tot iustis titulis possidente legitime auferre, cum asseras, quod latius dubio tertio hoc demonstrabis, & quod nullo titulo colorato Dux Brigantiæ dici possit Regnum possidere, sed habendus sit, vt inuasor, & intrusus: ad eundem locum tanti mendacij; & impudentiæ confutationem reseruo.

30 Cum tandem nihil noui tibi occurreret circa hoc tuum secundum motiuum firmandum, eandem cantilenam repetis, ad deuolutionem præsentationum ad Sedem Apostolicam, propter discordias totannorum cum Rege Catholico, regrediens: quod satis superque confutatum iam est. Progrederis insuper, quod si ius præsentadi, quod est firmius, hodie vires non habet, quanto magis viribus carebit ius supplicandi, quod est infirmius, & non nisi ex gratia admittitur: & ad hoc probandum citas Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Glossa. 44. num. 50. & nō est nisi, à sed concedo fuisse lapsum Amanuensis.

31 Videamus igitur, quid præcitato loco dicat Gonzales: sic autem ait. *Potest verificari in collatione ad supplicationem alterius, ita quod collatio prius facta non teneat, nisi prius supplicatio alterius præcedat. Nam quanuis preces supplicantis non obligent, cum supplicatio concernat gratiam, & meram liberalitatem eius, cui supplicatur: negari tamen non potest, quod obligatio expectandi talem supplicationem, non sapiat obligationem requirendi, & expectandi consilium, vel interuentum, quo casu libera collatio non dicitur, vt dixi in glossa 46. & 48. & regula nostra declarat: ac consequenter desinit esse libera, quando debet præcedere supplicatio, cum restringatur mera, & libera facultas conferendi quandocunque collatori placuerit.*

32 Sæpissime te admonui, quod in citandis iuribus, & Doctoribus subdolis semper veteris cauillationibus, illa sola verba referens, quæ ad sententiam tuam conferunt, reticens vero, quæ ipsam impugnant. Verum quidem est, quod Gonzales præcitato loco asserit supplicationem concernere gratiam, & meram liberalitatem eius, cui supplicatur, sed quod postea addidit cauillosè tacuisti; nimirum negari non posse, quod obligatio expectandi talem supplicationem non sapiat obligationem requirendi, & expectandi consilium, vel interuentum, quo casu collatio non dicitur libera; Vnde concludit alijs locis ase supracitatis, esse ipso iure nullam talem collationem.

33 Sed sic est, quod vel ex priuilegio Sedis Appostolicæ dato, seu permisso, vel ex possessione immemorabili, aut saltem ex consuetudine permissa ad supplicationes veterum Regum Lusitanorum prouisæ sunt Cathedrales illius Regni Ecclesiæ, vt omnia supra probauimus, nec tu negare potest: Ergo etiam hodie supplicationes, seu nominationes Regis Lusitani à Santissimo D.N. Alexandro VII. debent esse admissæ, nisi aliundè obstet: quod autem non obstet ex iam dictis maiori ex parte constat, & ex sequentibus clarè patebit.

34 Concludis tandem præfatum motiuum, ad illud rediens, cui iam satisfecimus: scilicet de Dionysio, qui (vt tu falsò dicis) seruaturum in perpetuum cum suis successoribus concordiam spopondit. Perlege, vt supra monui Bzouium in Nicolaū IV. anno Domini 1289. num. 9. & 10. & nihil inuenies de successoribus. Sed demus etiam, quod ita esset, quid inde eruitur contra Regem Ioannem verum Dionysij successorem? ille pro suo iure contra Ecclesiasticos pugnabat, *seque innoxium* (inquit Bzouius) *iniuste a cetu fidelium separatum, & Regnum interdicto Ecclesiastico iniquioribus rationibus criminabatur.* Iste verò similiter conqueritur, quod iniustè (si æqua lance illius iura ponderentur) ipsius Orator à Sede Apostolica admissus non sit, nec Cathedrales dicti Regni Ecclesiæ ad ipsius nominationem, seu supplicationem, prout de iure, prouideantur, quod tamen non tibi, nec alijs similibus,

sed

sed Sanctissimo D.N. Alexandro VII. tantummodò competit dijudicare. Et hæc pro responsione ad tuum secundum motiuum sufficiant.

Tertium tuum motiuum est.

Quid Dux Brigantiæ est hodiè pluribus censurarum nexibus absque vlla tergiuersatione innodatus.

HOc vt probes, casus enumeras. Primus est, vt dicis, seu verius, vt mentiris, quia statim post Regni inuasionem Nuncium Apostolicum Regno pepulit. Tria in his paucis verbis continentur mendacia. Primum, quod statim; Secundum, quod, Nuncium: Tertium, quod Regno pepulit. Vt hæc omnia luce meridiana clariora pateant, narrandum est factum. Post expulsionem Illustrissimi D. bonæ memoriæ Episcopi Nicastrensis Collectoris Apostolici è Regno Lusitano, factam à Rege Philippo IV. dum præfati Regni clauum teneret (de qua infra) Hieronymus Bataglinus eius Auditor in Regno mansit subdelegatus: hunc munus suum exercentem inuenit Rex Ioannes cum Regni possessionem sumpsit, nec illi in aliquo obstitit, licet plurimas querelas cōtra eius administrationē omnes ferè habitatores, præsertim Ecclesiastici, & Regulares totius Regni detulissent. 1

Videns nihilominus Rex post plures annos quod Summi Pontifices Vrbanus & Innocentius Ministros Regios, quos ad ipsorum Sanctissimos pedes semel, iterum, & tertio miserat, non admiserunt, sed à militibus, seu satellitibus ignominijs, ac contumelijs affectos, vel potius laceratos, & vulneratos, quin agressores punirentur, ab Vrbe remiserint: & vt tam Catholicus, Romanæque Sedis obsequentissimus filius non sibi persuadens, quod Petri successores, Christi quæ Vicarij ob timorem humanum oues sibi ab eodem Christo concreditas perire sinerent, immò firmiter credens, quod pro vna sola ad imitationem veri, bonique Pastoris cæteras relinquerent, vt vnam illam quærerent, & inuentam super humeros suos portarent, ad caulasque reducerent: iustè iudicauit ex defectu veræ informationis procedere, quod Pontifices Ministros suos non exaudirent. Vnde prudenter æstimans nullos alios mittere posse, qui pleniùs, ac veriùs Papam Innocentium informarent, quam ipsius Ministri: Hieronimum Bataglinum Vicecollectorem, & Iacobum Bartolani eius Auditorem Romam misit. Ille de ordine Pontificis ob spoliorum Apostolicorum dicti Regni vsurpationem carceri fuit mancipatus, & in illo obijt. Hic autem homo bonus, ac timens Deum liberè, vt debebat tum ipsi Pontifici, tum nonnullis Eminentissimis DD. Cardinalibus, ac Illustrissimis Prælatis fideliter narrauit quæ viderat, tum in ordine ad præcisam necessitatem Ecclesiarum, tum ad obseruantiam, & obedientiam illius Regis versus Ecclesiam Catholicam Romanam. Sed, proh dolor, cum similis narratio valdè displiceret D. Cardinali Panfirolo, eo quod addictissimus esset Regi Catholico, seu, vt dicitur, factioni Hispanicæ, nihil pro tot annorum seruitute tempore illo, & postea, dum vixit Pontifex Innocentius, obtinuit: Sanctissimus tamen D.N. Alexander post suam dignissimam ad Pontificatum assumptionem illicò eum prouisit in Gubernatorem Ciuitatis Cornetanæ. Viuus est illic, si mihi non credis, eum ausculta, & videbis falsitatem, ac mendacium tuum: Exquo deducis Regem Lusitanum, excommunicationis sententia esse ipso facto innodatum, & Regnum ipsum interdicto Ecclesiastico suppositum. Non te pudet, nec erubescis vir religiosus, vt fertur, ita manifestè mentiri? quid putabas quando hæc scripsisti? Existimo sanè, quod tibi persuasisti in Curia Romana neminem esse qui lingua polleret latina, sicque neminem, mendacium tuum intelligere posset, quod tamen constat ex ipso facto, siquidem non statim post Regni inuasionem Rex Ioannes præfatos Ministros Romam misit, sed post plures annos. 2

Secundum tuum mendacium, vt manifestetur, probatione non indiget, notum est enim omnibus, quod Hieronimus Bataglinus non erat Nūcius, immò nec Collector, sed tantummodò Subdelegatus à Collectore: iam enim tunc temporis vetus Collector, idest Illustrissimus Castracani expulsus erat Regno: sed à quo, in o- 3

 sten-

ſtendendo tuo tertio mendacio, apperiam.

Eſt igitur hoc, quod Rex Ioannes pepulit Regno Nuncium Apoſtolicum: Ex
4 dictis igitur conſtat, quod iſte expulſus non fuerit Hieronymus Bataglinus, quia nec erat Nuncius, nec ſtatim poſt inuaſionem Regni, nec tandem fuit pulſus, ſed tantum miſſus, & rogatus tanquam Orator Regius & teſtis occulatus eorum omnium, quæ Regnum illud patiebatur, vt pleniùs, & abſque ſuſpicionis nota Pontificem informaret.

5 Sciendum ergò eſt, quiſnam fuerit iſte Nuncius, & à quo, vel à quibus ſit expulſus? Si uis hoc radicaliter ſcire, perlege relationem Illuſtriſſimi D. Caſtracani Epiſcopi Nicaſtrenſis vulgari ſermone Italo manuſcriptam: & aliam D. Ioannis Chumacerij hiſpano idiomate etiam manuſcriptam pro reſponſione contra illam D. Caſtracani, & reperies, quod fuit expulſus à Miniſtris Regijs, moderante tunc temporis Luſitaniam Rege Catholico Philippo IV. quæ opprobria, quas iniurias, & ignominias, quas fames, quam ſitim, quæ in omni genere cruciamenta paſſus ſit dictus Prælatus, animus meminiſſe horret, luctuque refugit. Si illa omnia ignoras faciliùs ea inuenies in prædicta præfati D. Caſtracani relatione, & in diſcurſu politico D. Morelli p. 4. & obſtupebis, ſi Deum pluſquam homines times. Et tamen iuxta tuam ſanam conſcientiam illos excuſabis, Regem verò Ioannem de crimine ab eis patrato falsò incuſans.

6 Redeo iterum ad illud, quod ſupra annui; videlicet, quod dictus Bataglinus fuerit miſſus à Rege Ioanne, vt pleniùs, & abſque ſuſpicionis nota Pontificem informaret. Patet ex formalibus verbis manifeſti Luſitani quæ ita habent. *Chiuſe le porte alle voce de S. Maeſtà, e del Regno tutto, non tenendo i Portugheſi mezzo veruno per eſſer eſſauditi di S. Santità, rimancua ſolo per vero, & vnico rimedio andar' il Vicecollettore Girolamo Battaglini, & il ſuo Auditore Giacomo Bartolani alli piedi di S. Santità, perch' eſſendo Italiani natiui, e per offizio Miniſtri Apoſtolici, era veriſimile, che ſarebbero meglio vditi dà S. Santità, & à queſt' effetto procurò più volte S. Maeſtà perſuaderli a far queſto viaggio, ſin ch' vltimamente lo conſequi, facendole preparare imbarco conueniente, doue l'imbarcorono con ogni comodita, e dezenſa donuta alli carichi, ch'eſſercitauano, reſtando le loro caſe a le perſone ch' hanno volſuto con ogni riſguardo neceſſario ſenza innouatione alcuna nelle cauſe, e negotij che pendeuano in quel Tribunale, aſsicurando loro S. Maeſta, come di preſente aſsicura, non eſſer ſua intentione ch' il Regno reſtaſſe ſenza Miniſtri della S. Apoſtolica, che con tanto decoro honorò ſempre.* Quid dicis ad hæc, falſus, & doloſus Amicus? Ioannes ne an Philippus Regno Luſitano Miniſtrum pepulit Apoſtolicum? quam melius tibi eſſet: non ſolum tacere, ſed etiam obmuteſcere, quam talia ſcripta mihi remittere, ne vniuerſus Orbis non ſolum mendacem, ſed impudentem etiam te publicaret.

7 Secundus caſus a te enumeratus eſt, quia Rex Ioannes, redditus tot Eccleſiarum vacantium ſibi arrogauerit, Vnde licet ſub titulo communium neceſſitatum ob imminentia, & continuata bella, nihilominus tamen ex communicationis pænam latæ ſententiæ incurriſſe aſſeris, prout definitum fuit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & habetur expreſsè in cap. Aduerſus. de immunit. Eccleſ.

8 In primis cauſa quam aſſignas præfati anathematis eſt omninò falſa: quia Rex Ioannes redditus prædictarum Eccleſiarum ſibi non applicauit, ſed cum illi ad Epiſcopos futuros, non autem ad Sedem Apoſtolicam, vt in alijs Hiſpaniæ Regnis, pertinerent, & Capitula plena authoritate, prout mos eſt, eos adminiſtrarent, ab ipſis Capitulis non omnes redditus, ſed partem aliquam mutuam poſtulauit, quemadmodum ab alijs vaſſalis maximè à diuitibus, ſimiliter poſtulauerat, vt tempore debito, etiam cum fœnore, ſi opus eſſet, in integrum reſtitueret. Capitula vero, rationes, & cauſas talis poſtulationis prudenter, & chriſtianè iuſtas reputantes, præfatum mutuum illi præſtarunt. Qua narratione ſuppoſita, quæ veriſſima eſt, atque ex teſtimonijs ipſarum Eccleſiarum, totiuſque Regni verificari poteſt: in quo (dicas mihi ingenuè) peccauit Rex ille, vt anathemati latæ ſententiæ ipſum ſubijcias? ſi in factis publicis, & notorijs ita allucinaris, nè dicam mentiris, quid de illis, quæ vel propter antiquitatem, vel ob obſcuritatem temporum non poſſunt ità planè verificari, dicendum eſt?

Sed

Sed demus, quod ita res ageretur, vt tu eam narras, qnid indè contra Regem Ioannem deducere poteras? vel illum Regem agnoſcis, vel non? Si ſecundum, quid opus eſt recurrere ad applicationem redditũum Eccleſiarum vacantium, cum tanquam Dux Brigantiæ nec poterat mutuum poſtulare à Capitulis,nec redditus ſibi applicare, immò nec Capitula eum ſinerent talem facere applicationem Si autem primum cur non diſtinxiſti intèr ius canonicum, & naturale: neſcis (puto quod ſic) quod iſtud obligat ſemper, & pro ſemper, illud autem minime? Pono exemplum: poteſt occurrere aliqua occaſio, inqua ius naturale, & poſitiuum ſibi in vicem opponantur, quia illud iubeat V.g. aliquid faciendum, quod hoc prohibet: in hoc caſu quid ſequendum, non ne quod naturale iubet, quia præualet contra Canonicum? Sed ſic eſt, quod quilibet Rex ex iure naturali ſuum Regnum, ſuoſque vaſſallos omni, ac meliori modo, quo potuerit, defendere tenetur, etiam ſi ad præfatum effectum conſequendum opus illi ſit vaſſallorum bona vendere, & præfatæ defenſioni applicare: non tangere autem redditus Eccleſiaſticos tantummodò ex iure poſitiuo ipſi prohibetur:ergo ſipræuio maturo,ac ſano conſilio iudicauerit, quod non valeat ſuum Regnum, & vaſſallos defendere, niſi ad bellorum expenſas præfatis redditibus ſe præmuniat, licitè poterit eos illis applicare, quod plerumque nonnulli Reges Chriſtiani in diuerſis occaſionibus fecerũt. 9

Sed dices te non negare in ſimili caſu poſſe Reges Eccleſiaſticos redditus bellorum expenſis applicare, attamen præcedere debere conſenſum, ſeu placitum Apoſtolicum. In hoc etiam falleris, quia non diſtinguis inter bellum offenſiuum, & defenſiuum,pro illo enim,quanuis ſit ad recuperandum ereptum, dummodo non fuerit periculum in mora, non dubito, quod debeat præcedere talis conſenſus: in iſto tamen, maximè cum periculum vrget, quis dubitabit Regem non teneri talem expectare conſenſum, defenſio enim naturalis non debet pendere ex illo, cum obliget ſemper & pro ſemper etiam in inſtanti. Cum autem certiſſimum ſit,quod Rex Ioannes ſuo contentus, aliena ſumere nunquam tentauerit (contra Politicorum dogmata)nec arma ſumpſerit ad Regnum Caſtellæ offendendum,ſed ad ſuum defendendum, quis dicere poteſt præfatos redditus, neceſſitàte compellente, prædictæ defenſioni applicare non poſſe? 10

Secundo etiam falleris, quia non deſtinguis inter acceſſum tutum,& non tutum ad Sedem Apoſtolicam. Si pro obedientia præſtanda Summis Pontificibus, qui eſt actus reuerentiæ, & obſequij, ipſius Oratores non fuerunt admiſſi, immò nec exauditi, quomodo pro gratia obtinenda (ſic æſtimatur talis conſenſus) ipſe Rex exaudiretur, maximè cum miniſtri Regis Catholici conquererentur,quod S. Sedes talem gratiam in ſui Principis detrimentum concederet: Si in ligno viridi hæc fiunt &c. Vnde cum Rex Ioannes certo ſciret ad Sedem Apoſtolicam ſibi non patere tutum acceſſum, niſi aliundè obſtaret,etiam ex hoc capite præfatum requirere conſenſum non teneretur: ac per conſequens præfatos redditus bellorum expenſis ob communem defenſionem ſuam, ſuorumque vaſſallorum applicare licitè poterat. Quod tamen non fecit, vt ſupra oſtenſum eſt contra tuam falſam, & mendacem narrationem indignam ſanè viro religioſo. 11

Tertium caſum, ex quo deducis Regem Ioannem eſſe anathematis vinculo innodatum, aſſignas: quia innumeros Eccleſiaſticos notoriè vexauit: Epiſcoporum nonnullos carceribus mancipauit:alios ex proprijs Sedibus extorres reddidit. Eccleſiaſtici, quos vexatos aſſeueras, duo tantum extitere, vnus ſcilicet regularis, ſæcularis alter: currente tamen tempore alij forſan extitiſſent, ternarium tamen, aut quaternarium numerum non exceſſerunt,tu verò innumeros aſſeueras: malum gramaticum abſque dubio terrputo, ſiquidem nomen, *innumerus*, & ſignificationem eius omninò ignorare oſtendis. Epiſcopi tres Sacrati,& vnus electus tantum fuere, horum tamen nullum extorrem reddidit. Primus enim ſcilicet Archiepiſcopus Bracharenſis ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ in Ciuitate Vlyſiponenſi, ſexaginta leucis à ſua Diæceſi diſtante,reſidebat. Secundus multis retrò annis ſuam Eccleſiam Ægitanenſem renunciauerat, officio quippe Inquiſitoris Generalis fungebatur. Tertius nullam habebat Eccleſiam, inqua reſidere teneretur, cum eſſet Titularis in partibus Infidelium. Quartus tandem erat religioſus quidam electus 12

Mala-

Malachensis, sed non dum confirmatus, nec sacratus. Ecce totum, quod attinet ad factum, veniamus igitur ad iura,

13 Hi omnes Ducem Brigantiæ suum Regem recognouerunt, & vt tali fidelitatem præstarunt, & iurarunt: post aliquot verò menses minis, seu potiùs promissis Hispani Regis, aut veriùs Comitis Ducis, neglecto fidelitatis iure iurando contra illius vitam, & Regnum conspirarunt: quod crimen læsæ Magestatis in primo capite, cum ad Regem esset delatum, eos carceri mancipari iussit, vt facti illorum processus ad S. Sedem remitterentur iuxta Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 5. Quo supposito, dicas mihi, in quo peccauit præfatus Rex, vt eum incurrisse pronuncies in excommunicationem latæ sententiæ? Nesciebas, quod, iuxta iuris naturalis principia, poterat potestate politica ab eodem iure sibi concessa, non solum carceribus eos mancipare, sed etiam, si conuictos reperiret, prout culpæ ipsorum merebantur, etiam vltimo supplicio, punire? Perlege D. Thom. 2.2. q. 102. art. 2. Girrb. cons. 49. num. 16. & seqq. Solors de iure Ind. lib. 3. cap. 27. num. 45. Amayam in lib. 6. num. 4. & 41. C. de decurion. lib. 4. Salzed. de leg. polit. lib. 1. cap. 10. num. 32. vbi citat Cancer. Ramir. Hentiq. Rodrig. Cened. Garz. Auendan. qui omnes eandem doctrinam acerrime defendunt, docentque esse communem: atque plura referũt exempla tum Sacræ paginæ, tum historiarũ Hispaniæ.

14 Quarta excommunicatio, quam asseris incurrisse Regem Ioannem, est, quia litteris Apostolicis in fauorem Episcoporum, quos Innocentius motu proprio elegerat, expeditis nunquam voluit per tot annos executionem impertire: non obstante, quod notorium esset illorum electionem ad Pontificem esse hodiè deuolutam: vnde infers in censuras Bullæ Cœnæ absque dubio incurrisse,

15 Quanto iustiùs hæc tua manus, qua hoc mendacium omnium tuorum maximum, immò impudentissimum scripsisti, ardenti cauterio inuri merebatur, quam Lusitanorum verba, vt tuus imprecabatur Collega! Vbi sunt litteræ illæ Apostolicæ, quas Innocentius X. in fauorem Episcoporum motu proprio à se electorum expediuit, seu expediri mandauit, quibus Reges Ioannes per tot annos executionem impertire noluit? Si hoc in Perside, Mesopotamia, aut Iaponia scripsisses, aliqui forsan, res Romanas ignorantes, tibi fidem haberent: attamen in Vrbe Roma, fuit absque dubio insensasti, & amentis hominis temerarius ausus: pro quo, non solum gradu, ac dignitate, si quam habes, sed etiam caractere Sacerdotali deponi merebaris. Casus, licet plurimis iam innotescat, & nos etiam de illo, quod satis erat, supra narrauerimus, vt vniuersis tamen pateat, expedit iterum, prout contigit illum, enarrare.

16 Pontifex Innocentius (vt credendum est) conscientiæ morsu tactus, desiderabat Lusitaniæ Ecclesijs Pastores præficere, timuerat tamen vbi non erat timor: non enim Rex antonomasticè Catholicus poterat contra eum venire, ac ipsius locum, & gentem tollere, quemadmodum de Romanis timebant Hebrei. Nihilominus tamen modum aliquem inuenire optabat, quo præfatis Ecclesijs prouidère posset absque Regis Catholici indignatione. Hac Pontificis voluntate intellecta, non defuerunt qui ipsi suggererent posse quidem vtrumque perficere, si in præfatis Ecclesijs eosdem nominatos, seu præsentatos à Rege Ioanne Episcopos destinasset: dicto enim Regi satisfaciebat eligens, & confirmans eos, quos ipse nominauerat, & Regi etiam Catholico, quia non ad præsentationem Ioannis, sed ex certa scientia, ac motu proprio præfatas prouisiones ad nullius requisitionem promulgabat.

17 Innocentio præfatum arbitrium ex parte non displicuit, attamen non audebat illud executioni mandare, quia verebatur Regem Ioannem dictas prouisiones admissurum non fore: Et in hac perplexitate per aliquot menses dubius permansit: interim præfatum arbitrium Religioso cuidam innotuit. Hic, cum Lusitanus esset, & apud Regem non nihil valeret, valdeque optaret, saltem aliquos exnominatis prouisos videre, Pontifici insinuauit, quod absque dubio præfatus Rex ob vrgentem Ecclesiarum necessitudinem prouisiones motu proprio acceptaret. Nihilominùs Pontifex dubius, & perplexus perstitit: attamen propter importunitatem illi significauit, quod si sibi ostenderet litteras Regias, quibus securus de acceptione redderetur, illicò prouisiones expediret: Et tandem aliqua Epistola sibi osten-

ostensa, non tamen Regis, sed alicuius Ministri, illos tres Episcopos, de quibus supra, in Consistorio præconizauit: attamen post dictam functionem veriùs informatus, licèt suopte ingenio aliquantulum tenax, prudenter tamen præuidens, quæ scandala oriri poterant ex talibus prouisionibus, perpetuum silentium in illis iussit imponi: nec, vt tu falsò dicis litteræ aliquæ fuerunt expeditæ. Hæc est veritas facti, quam tu perquirere debebas, antequam tot falsitates in tuis scriptis cumulares, maxime cum sæpe te iactes Sacri Consistorij Tabularium aperuisse, quæ omnia optimè comprobantur ex illa demonstratione, quam postea fecit Pontifex Innocentius, vt constat ex ijs, quæ supra diximus in responsione ad primũ tuũ dubiũ.

Quintam denique ex communicationem, qua deuinctum Regem Ioannem denuncias, ex eo deducis, quia propria authoritate iuramentum fidelitatis Regi Catholico præstitum violauerit, illumque iustè, & legitimè possidentem Regno spoliauerit. Facile tibi concederemus consequentiam, si illa tria, quæ in præmissis continentur prius, vt debebas, probares. Adhuc senex cùm sis, seu potiùs, si non ætate, saltem mente decrepitus ignoras, quod ex præmissis falsis inutiliter nititur quis veritatem eruere, probareque quod verum esse sibi fingit? Quis tibi suggessit, quod Rex Ioannes propria authoritate, & quod iuramentum fidelitatis violauerit, & quod Philippum iuste, ac legitimè possidentem Regno spoliauerit? Si esses non dico iam doctus, vt tui iniuriosè proclamant, sed tantum prudens, illa tria debebas priùs probare, vt posses ex illis veram consequentiam colligere. Attamen illa vera supponens consequentiam deducere niteris, authoritate Concilij Toletani 4. Can. 75. eam corroborans. Oleum, & operam perdere iudicaui in verbis Concilij perquirendis: licet enim non solum mendosum, sed mendacem etiam in citandis, seu referendis Doctorum, & iuris verbis te repetiam volo nihilominus nunc tua stare citatione, seu relatione. 1

Contra quem, vel contra quos præfatum Concilium anathema illud decernit? non nè dicit, *quod contra quemcumque, qui qualibet coniuratione, vel studio Sacramentum Fidei, quod pro conseruatione Regiæ salutis pollicitus est, aut præsumptione tyrannica Regni fastigium vsurpauerit?* Hæc igitur tibi erant prius probanda facta fuisse à Rege Ioanne, vt deducere posses ipsum præfatum annathema incurrisse: sed, Bone Deus, nec tu, vt iam supra dixi, nec Collegæ tui, immò nec alius Castellanas partes professus talia vsque modò probare valuistis, immò nec valebitis, quia ius, & iustitia Regis Ioannis adeò sunt clara, vt non possint à vestris tenebris cõspurcari. 19

Contra duo crimina statuitur assertum Concilij anathema, vel illius, qui qualibet coniuratione, seu studio Sacramentum fidei, quod pro conseruatione Regiæ salutis pollicitus est, abrupit: vel illius, qui præsumptione tyrannica Regni fastigium vsurpauerit. Atqui Rex Ioannes nec iuramentum abrupit, nec Regni fastigium præsumptione tyrannica vsurpauit, vt infra suo loco demonstrabo: Ergo præfatum anathema non incurrit. Ad id, quod addis, nempe, quod Concilium loquitur etiam de ijs, qui aliquo iusto titulo præsertim hæreditario Regem possidentem propria authoritate deturbare attentauerint, cum dicas, quod dubio tertio aperies, ibidem tibi respondebimus. 20

Concludis ex his optimis principijs, & documẽtis hæc omnia facta fuisse à Brigantia, ita vt nulla valeant tergiuersatione tergiuersari: vnde nemo ambiget notum esse, illum hodiè tot censurarum ictibus confossum, atque inhabilem, & impeditum, nè eius præsentationes adhuc auribus excipiantur, immò priuandum fore etiam iure præsentandi, si quod habet. Ex his optimè Ego concluderem, quod, si hæc omnia verè, & realiter sunt falsa, vt tibi, & vniuerso Orbi facile ostendam, debent omninò Regis Ioannis præsentationes admitti, & Regnum in sua possessione præsentãdi conseruari: quia Pontifex de sua potestate ordinaria, & benè ordinata, vt de tam Sancto, docto, ac pio Patre, & Pastore credendum est, non potest aliter disponere. 21

Addis tandem aliqua exempla, quibus ex stylo Sedis Apostolicæ (vt tu asseris) probare niteris præfata tua dogmata; attamen inepta, extra lineam, & quandoquè falsa, vt assoles. Primum est Alphonsi III. quem dicis Ecclesiæ iura inuasisse: Episcopos à Suis Sedibus pepulisse, & Ecclesiastica bona vsurpasse: & per paren- 22

thesin addis. *Diceres fuisse Ducem Brigantiæ.* Antequam vlteriùs progrediar, dicas mihi amicabiliter, in quo tibi similis visus fuit Dux Brigantiæ Alphonso, cnm notum sit, nec iura Ecclesiæ inuasisse, nec Episcopos à suis Sedibus pepulisse: nec bona Ecclesiastica occupasse. Si tamen tuis solitis falsitatibus velis fidem habeamus, speciatim, seu in indiuiduo nomina, vel determina quod, vel quæ horum criminum, & in quibus occasionibus commiserit Rex Ioannes.

23 Sed ad exemplum redeamus. Asseris igitur, quod Gregorius X. in pœnam dictum Alphonsum, eiusque successores iure patronatus, si quod in illo Regno haberent priuauerit, quandiù in eiusmodi contumacia, & excommunicatione perseuerassent. In primis, vt vetus tibi mos est, prout satis ostendi, verba Pontificis vitiasti: non enim dixit Pontifex, quod priuauerat, sed tantummodo, quod ipse, & successores non possent vti patronatu, si quod haberent, (vt patet ex Epistola à te citata,) quandiù non recipiscerent. Quo supposito: nesciebas, quod satis differt priuatio à prohibitione vsus? Credo quod sic, ignorantem enim te satis ostendisti in hac tua Apologetica Epistola. Sed concedamus etiam, quod idem sit priuare, atque vsum vetare: non vidisti, quod ex ipsismet Diplomatis verbis ipsa priuatio non erat absoluta, sed determinato tempore præscripta, quandiu scilicet in contumacia perseuerassent? Sed sic est, quod Alphonsus, & eius successores non perseuerarunt in eadem contumacia, propter quam Pontifex illi minabatur similem pœnam (erat enim præfata Epistola comminatoria tantum, vt ex ipsamet constat) immò quod priùs certa conditione promiserat de stando mandatis Apostolicis, postea verò absolutè, & absque vlla conditione statuit dictis mandatis, obedire, prout effectiuè adimpleuit: constat ex scriptura quadam in archiuio Cathedralis Vlysiponensis asseruata, quæ sic habet.

24 *Nouerint vniuersi, quod feria tertia, videlicet decimo sexto Kalendas Februarij in præsentia nostra Durandi Episcopi Elborensis &c.* Et infra. *Illustris Rex Portugalliæ, & Algarby dixit, quod iam dudum intentionis suæ fuerat iurare, & stare mandatis Ecclesiæ Romanæ sub conditione, videlicet, saluo iure Regni sui, & filiorum, & vassallorum suorum: modò verò volebat iurare simpliciter, & sine aliqua conditione. Et tunc prædictus Rex in manibus meis prædicti Petri Martini iurauit ad Sancta Dei Euangelia, & promisit simpliciter, & sine aliqua conditione stare, & parere, mandatis Ecclesiæ Romanæ, & restituere omnia, quæ mandauit occupari, & Prælatis omnia bona sua.* Et infra. *Et nominauit expresse quædam, quæ ipse occupauerat, quæ statim mandauit restitui &c.* Ergo ad quid post quadringentos annos, & ampliùs præfatum suscitasti exemplum? Quid inde contra Ioannem IV? Asseris tamen sed mendaciter, quod in eadem contumacia cum Alphonso perseuerat, cum detrectet suscipere Episcopos ab Innocentio electos Si probares, quod Innocentius priuarat Ioannem ob aliqua crimina illis Alphonsi similia, saltem apparenter aliquid insinuares, sed quia electio erat deuoluta ad Sedem Apostolicam ob discordias inter Ioannem, & Philippum & alia similia à nobis iam sæpe refutata, & conuicta: nescis quid dicas.

25 Deindè excusationem pro parte Ioannis ex eo deducis, quod non fuerit declaratus: sed contra opponis, quod etiam Alphonsus declaratus non fuit, sed tantummodo comminatus, & tamen propter incursum fuerit priuatus iure præsentãdi. Vt aliquid hoc tuo exemplo obtinere posses, duo prius probare debebas: vnum scilicet, quod Ioanni non solum comminatæ fuerant censuræ, quemadmodum Alphonso, sed etiam notificatæ, quamuis extraiudicialiter; alterum, quod Alphonsus de facto fuerat priuatus iure præsentandi: attamen cum vtrumque sit falsum, vt per se patet, nihil concludere potest. Constat de primo, quia Innocentius tantum ab est, vt vellet vlterius procedere, quod statim in decreto Consistoriali silentium imponi iusserit, nolens vt diuulgaretur. Intellexit enim, vt de eius prudentia præsumi debet, quod non poterat seruata iustitia Regnum illud suis præeminentijs priuare, ex eo tantum, quod Rex Catholicus, seu eius Ministri contrarium prætenderent, quod dictis, & factis sufficienter significauit, vt satis constat ex ijs, quæ iuxta veritatem supra adduximus. De secundo constat etiam, quia licèt Alphonsus fuisset comminatus, & etiam concedamus, quod de facto incurrisset, cum tamen se retractauerit, & stare mandatis Apostolicis iurauerit, atque

cum

cum effectu illa omnia, pro quibus comminatæ illi fuerant censuræ, restituisset, quid inde contra ipsum, vel contra Regem Ioannem resultare poterat?

Ad id, quod addis, videlicet Regem Ioannem non esse excommunicatum ab homine, sed à iure, ac proindè cum ius semper moneat, & clamet, ac resistat nè eius præsentationes audiantur, non posse esse admissas, quia possessio a iure damnata in nullo iuuat possessorem. Aliquis ex tuis nonnullos publicauit miscellaneorum libellos, tu verò inquolibet dubio, quin etiam puncto huius tuæ Epistolæ miscellaneasti; Contra quod ius peccauit Rex Ioannes, vt clamet contra eius præsentationes? Quod ius possessionem, quam illius Regni obtinuit, damnauit? quæ contumacia & inobedientia, a qua non recipiscat? Quomodo hodie sola Sedes Apostolica illius Regni præsentationes possidet. Proba hæc omnia melius quam supra sopponis probata, & tunc tibi respondebo, seu verius te confundam. 26

Deindè vsque ad finem huius tui motiui pleraque more pharmacopolarum cōmisces, indigestè tamen, ac inordinatè disposita, vt soles. Quæ omnia eò tendunt, vt non possit Rex Ioannes se excusare, seu defendere, quin tot censuras incurrisset: quia licet non est declaratus, sufficit, quod sit notorius excommunicatus. Quod quidem probare intendis vno, vel altero exemplo. Primum est Henrici Germaniæ Regis, qui cum esset notorius excommunicatus, quamuis non denunciatus ob crimen simoniacæ hæresis propter Episcopatus, & alias dignitates Ecclesiasticas venditas à Legatis Gregorij VII. in Germaniam missis ad tractatum admissus non fuit, donec à præfato anathemate absolueretur. 27

Secundum exemplum est Nicolai III. qui cum Ecclesia Græca cum Romana in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. esset confæderata, atque Antistes, & Clerici Græci nulla præhabita à censuris, propter præcedens schisma, absolutione, Ecclesiasticas functiones exercerent, non obstante, quod Michael Palæologus pro illis intercederet, respuit eius supplicationes ex eo, quiaprius quam præfatas functiones exercerent ab excommunicatione debebant absolui. Aliud etiam refers exemplum Ioannis XXII. qui cum Rex Castellæ ob contractas vetitas nuptias cum Maria filia Alphonsi Regis Portugalliæ, in censuras ipso facto incurrendas inciderat, licèt nunquam fuisset denunciatus, sed diù toleratus, eo quod ad pacem cum dicto Alphonso faciendam præfatas nuptias celebrasset: cum tamen supplex pro dispensatione postularet, tunc Pontifex non ad Regem, sed ad Archiepiscopum Bracharensem litteras direxit, eo quod excommunicationis sententiæ Concilij Viennensis ob contractas illicitas nuptias subiacèret. 28

Addis præterea, quod Bonifacius VIII. in litteris ad Fridericum Regem Siciliæ, à titulo. Dilecti filij, & Regis Siciliæ abstinuerit, ex eo, quia tunc erat excommunicatus. Et Gregorius X. cum Aphonso III. Portugalliæ Regi ius præsentandi suspendisset propter censuras, quibus erat innodatus, nec litteras quidem ad eum direxit pro dicta suspensione, sed edita constitutione sub hoc titulo. *Ad perpetuam rei memoriam*, iurispatronatus priuationis sententiam in eum tulit. 29

Ex his omnibus concludis, quomodo S. D. N. Alexander VII. sub titulo dilecti filij, & salutatione, ac benedictione Apostolica litteras expedire debet, cum ipse incapax sit propter incursionem censurarum ab Innocentio X. illi comminatarum, perseuerans contumaciter in non admittendis electionibus ab eo factis, cum essent deuolutæ ad Sedem Apostolicam? 30

His omnibus non solum categoricè respondebo, sed omninò te confundam, nam licet exempla à te adducta, in omnibus, & per omnia paria, & similia essent, vt aliquid euincere possent debebas priùs probare Regem Ioannem de facto à iure, vel ab homine non solum esse excommunicatum, sed contumaciter etiam in excommunicatione perseuerantem. Sed cum nec vnum, nec alterum probes, sed tantummodò, vt certum tuo bono iudicio supponas, quid tibi respondere poteram, nisi quod priùs probasses, quod supponis, & hoc sufficeret, vt te confunderem. 31

Nihilominus tamen, ne fatuè tibi persuadeas, quod tuorum exemplorum efficacitatem effugere velim, confusionem, & ineptiam tuam ausculta; In primo exemplo dicis, quod Henricus erat notoriè excommunicatus ob crimen Simoniacæ hæresis propter venditos Episcopatus, & cæteras dignitates Ecclesiasticas, & 32

verè

verè sic erat. In nostro autem casu Rex Ioannes non solum non notificatus de electione illorum trium Episcoporum facta ab Innocentio, sed nec etiam certior de ea factus fuit, licèt notitiam aliquam de ea habuisset ex vulgari tamen, & incerta fama: quomodo ergo ex eo tantum excommunicatus, immò & notorius, atque contumax censeri debet? Ita tuo sano, seu verius insano iudicio excommunicati iudicantur Reges supremi, maxime hoc tempore? Sed demus, quod præfatus Rex notificatus iuridicè fuisset, vt admitteret illos tres Episcopos motu proprio creatos: non poterat præfatus Rex ad eundem Pontificem meliùs informatum appellare, & sui grauaminis causas exponere, atque pro reuocando, aut saltem reticendo præfato decreto Consistoriali supplicare? Reuolue iura omnia, & reperies, quod non solum poterat, sed etiam in conscientia tenebatur: quia Reges, & Principes absoluti in vtroquefoto, quantum sibi humanitus sit possibile, defendere, & propugnare sua Regalia tenentur: hoc enim pacto populi suam iurisdictionem ab initio in eos transtulerunt, nè scilicet ex eo aliquid deperderent. Quod sanè rectè intellexit Innocentius, & ideò, vt supra diximus, constatque ex facto, in dicto Consistoriali decreto silentium imposuit.

33 Attamen nō est opus ad hoc ius recurrere, cum res ex vtraque parte in veritate fuerit infecta: quia nec Pontifex suum decretum publicari permisit, nec Rex notitiam aliquam certam, & infallibilem de illo habuit, multòque minus iuridicā, quæ omnino necessaria erat, vt vel acceptaret præfatos Episcopos, vel Pontifici rescriberet. Attamen non possum te non mirari, cum adeo Zelatorem videam contra Lusitanum Regem, & pro Catholico: quod non recorderis, quod iste vi, iniurijs, fame, siti, alijs que violentijs, etopprobrijs Episcopum Nicastrensem collectorem Apostolicum è Lusitania expulerit, & memineris, tamque atrociter in Lusitanum inuehas, quod non acceptauerit Episcopos motuproprio? melius est tacere, quam loqui, ne te loquacem, immò impudentem contra Regias Coronas imitemur.

34 Quamuis autem satis superque confutata sit tui exempli applicatio moneo te iterum, quod sæpe iam feci, nè cauillosè Doctorum authoritate vtaris. Citas pro dicto exemplo Cardinalem Baronium anno 1074. num. 1. Et licet ille prædicta verba referat, non tamen vt sua, sed vt Lamberti, cum tamen dicto anno num. 2. alia Petri Bibliothecarij omninò contrária adducat, quæ ita se habent. *Receptis igitur affectuosè Legatis Episcopis, & digno cum honore tractatis, cum dies plurimos Rex de sua emendatione sancta commonitionis verba mansuete, & pacificè audiuit, quinque nobiles viros suos familiares ab Alexandro Papa excommunicatos vix à consortio, & societate sua remouit.* Quod quidem non cohæret cum eo, quod narrat Lambertus: hic enim asserit, quod Legati noluerunt communicare sermonem cum Rege, donec priùs anathemate absolueretur pœnitentiam professus: Petrus autem, quod Rex illos recepit affectuosè, & per plurimos dies de sua emendatione verba audiuit. Vtrumque refert Baronius vnum immediatè post aliud: tu credis Lamberto, Ego autem Petro: sed quid indè certum, & infallibile ad tuum intentum, vt tu falsò supponis, prout tibi mos est.

35 Secundum exemplum Nicolai III. nihil similitudinis cum nostro casu hebet, quia dictus Pontifex non solum non reiecit supplicationem Palæologi pro confirmanda pristina concordia, sed in præfata Epistola, quæ est 134. data Viterbij nonis Octobris, Pontificatus anno primo, valdè laudat ipsum Imperatorem ex ijs, quæ pro Ecclesia Catholica Romana perfecit eumque exhortatur, vt vlterius prosequatur, nullam de absolutione præcedentis excommunicationis mentionem faciens. Sed concedo, quod ita esset, vt tu refers, quid indè contra Regem Lusitanum? fuit nè ipse schismaticus, vt fuerant Sacerdotes, & Antistites Græci? fuit ne denunciatus excommunicatus, aut saltem incurrit anathema ipso facto, vt illi? Immò nec monitus fuit, quid dico, monitus? nec certior factus fuit decreti Innocentij, vt est notissimum. Ad quid ergo tuum exemplum, nisi vt te irrideamus?

36 Tertium Ioannis XXII. est etiam falsum, quia cum Ferdinandus Rex Castellæ, cuius nomen aut ignorantet, aut malitiose siluisti, despondisset sibi vxorem Vracam Alphonsi Lusitaniæ Regis filiam, non verò Mariam (vt tu falsò dicis) &

hoc

hoc nulla obtenta a Sede Apostolica dispensatione, cum essent consanguinei in gradu prohibito, Pontifex illum monuit, vt se à coniugio illicito dictæ Vrracæ separaret, at cum ille noluisset ipsi epistolas non direxit, sed Archiepiscopo Bracharensi, vt authoritate Apostolica sub anathemate illi, & vxori diuortium intimaret: quod videns Regina se illicò separauit, & in Lusitaniam discessit vbi in quodam Monialium Monasterio sanctissime vixit. Sed hæc omnia non tempore Ioannis XXII. vt tu falsò dicis, quia præfatus Pontifex rexit Ecclesiam ab anno 1316. dictus autem Ferdinandus anno 1174. Vrracam sibi desponsanerat. Et anno 1179. iam aliam vxorem nomine Theresiam duxerat. Sed concedamus, quod ita factum esset, vt tu enarras, quid inde contra Regem Ioannem? fuit nè monitus, vt Ferdinandus? fuit nè declaratus? Assigna seu proba, quod Innocentius illum monuerit, vel declarauerit, & tunc tibi respondebo.

Ad id, quod addis repetens verba Oratoris Lusitani ad S. D. N. Alexandrum VII. cum dicas te velle insequēti dubio illud expendere, ibidē etiā tibi respōdebo. 37

Tuum tertium dubium quærit.

An de iure possit hodiè Orator Ducis Brigantiæ recipi solemniter à Sede Apostolica, tanquam Regis Portugalliæ?

1 Antequam hoc dubium resoluas, vindicandus tibi videtur Rex Catholicus à tot lamentis, quibus in illum incurrunt hodiè, qui à Duce Brigantiæ stant, quasi iniurius illi sit Catholicus, eo quia resistit, ne eius Orator à Sede Apostolica solemniter recipiatur. Et ad hoc probandum, seu potiùs ad ostendendum, quod Lusitani de præfato Rege Catholico iniustè conqueruntur ob præfatam resistentiam, adducis exemplum Alphonsi V. Lusitaniæ Regis, qui similem, ac maiorem resistentiam fecit apud Sixtum IV. nè Oratorem Ferdinandi Catholici pro Regno Castellæ admitteret.

2 Prius quam præfati exempli veritatem examinemus, te (quod sæpe iam feci) commonefacere necessarium duxi, nè saltem in factis notorijs toties mendacem te ostendas. Lusitani namque de Rege Catholico nullo modo conqueruntur, eo quod receptioni Oratoris sui Regis resistat, quippe qui siue iustè, siue iniustè de suo iure bono, aut malo agit: dolent sanè & (vt videtur) non immeritò, quod ipsorum causa ob timorem, vel reuerentiam Regis Catholici, non iuxta merita, si non dijudicetur, saltem per tot annos suspendatur, nullo habito respectu ad præcisam necessitatem, quam Regnum illud habet: & hoc sufficit ad tuum mendacium propalandum.

3 Hoc supposito, vt exemplum examinetur, altiùs repetenda est facti historia. Henricus IV. Castellæ Rex ex sua legitima vxore filiam habuit nomine Ioannam, quam in suo testamento Principem declarauit, & Regni Castellæ hæredem instituit. Nonnulli ex Magnatibus videntes, quod dicta Ioanna absque vllo dubio in matrimonium coniungenda esset Alphonso Lusitaniæ Regi, de quo contrahendo iam in vita Henrici agebatur, illam spuriam, & non Regis sui filiam promulgarunt: nihilominus tamen alij non inferioris Ordinis, & dignitatis maximè Ecclesiastici, de quorum rectitudine minùs dubitari poterat, Alphonsum, vti futurum sponsum & patruum Ioannæ (erat enim germanus frater ipsius matris) vocarunt, vt nomine futuræ sponsæ Regni Castellæ possessionem sumeret. Non potuit Alphonsus copias colligere, quæ necessariæ erant ad Regnum occupandum propter multorum contradictionem: dum igitur se prępararet ad bellum ineundum, factionarij Elisabethæ defuncti Regis sororis, eam Ferdinando Aragoniæ Regi desponsarunt, vt tanquam vir prudentia, & animo præditus Regnum ab inuasione Alphonsi defenderet. Hic autem nihilominus magno Procerum constipatus numero, qui sibi ex Castella adhærebant, cum suo exercitu magnam partem dicti Regni iam adeptus, Rex illius fuit acclamatus: & tunc suum misit ad Sedem Apostolicam Oratorem, qui pro Regno Castellæ Summo Pontifici obedientiam præstaret. Postea verò Ferdinandus suum etiam misit Oratorem ad similem præstan-

standam obedientiã, qui fuit quoque admissus à præfato Pontifice Sixto IV. Antequam antem dictus Orator admitteretur, per suum Oratorem supplicabat, & requirebat Alphonsus, nè prius quam causa decideretur Ferdinandi Orator reciperetur, ne duo pro vno, eodemque Regno interse contrarij recepti forent. Cui Pontifex respondit se non decidere, quisnam eorum esset legitimus Rex Castellæ, sed recipere vtriusque Oratorem, tanquam Principum Christianorum, quos Sedi Apostolicæ obedientiã præstare decebat. De iure autẽ hæreditario inter se disceptassẽt.

4 Hac supposita facti narratione, quæ verissima est, iam vides tui exempli disparitatem pro tua parte, & paritatem pro parte Oratoris Lusitani. Si enim Sixtus non dubitauit duos simul Oratores diuersorum Principum pro eodem Regno admittere (quod etiam alij Pontifices similiter fecerunt) quomodo S.D.N. Alexander VII. non admittet Lusitani Regis Oratorem, maximè cum hic pacificè Lusitanum Regnum possideat cum omnibus suis ditionibus, quin Philippus, ne vnum quidem palmum illius obtineat? Quod autem addis de Episcopo Ouitensi euacuante rationes Alphonsi, & de Pontifice bonum ius Ferdinandi approbante, falsum omninò est: Sixtus enim in hoc negocio nihil circa ius resoluit approbando, vel reprobando, sed vsus tantum est verbis, vel sensu Pij II. asserentis morem esse Apostolicæ Sedis eum Regem appellare, qui Regnum teneret: cumque tunc temporis tum Ferdinandus, tum etiam Alphonsus partem Regni possiderent non obstante receptione Oratoris Lusitani, etiam Castellanum admisit.

5 Ad id quod addis ex verbis Ducis Brigantiæ (de quorum veritate satis dubitari potest) nihil respondendum existimaui necessarium, sed pro illis alia Pauli IV. referre; quæ quidem alijs Oratoribus præfati Regis Ferdinandi sibi improperantibus suam electionem rugata fronte respondit. *Nos iustiori titulo, Saniorique conscientia Sedem Papalem obtinemus, quam Rex vester, & Regina Regnum Castellæ, sunt enim intrusi, & absque vllo iure, atque contra conscientiam illud possident.* Ita Zurita lib. 3. cap. 33. & 35. Refert D.Christophorus de Benauento & Benauides in libro intitulato. *Aduertencias pera Reis, e Principes dedicadas al Serenissimo Principe delas Españas Dom Baltasar Carlos &c.* fuit excusus Matriti anno 1643.

6 Ad consequentiam, quam deducis ex eo, quod Lusitanus Orator asserit nullum præiudicium resultare Regis Catholici iuribus, si ipse recipiatur, quia si ita se haberet, cur Alphonsus remis, velisque se se opposuerat Ferdinando? Iam respondi Alphonsum non se opposuisse receptioni Oratoris Castellani simpliciter, sed quia suus Orator pro obedientia dicti Regni Castellæ priùs receptus fuerat, quod sanè si non iniustum, saltem nouum videretur, nisi Pontifex declarasset se causam Regni, prout de iure, non decidere, sed tantummodò pro obedientia Sedi Apostolicæ præstanda Principis Christiani Oratorem admisisse: in quò non videbatur aliquid iuris ipsi conferre, nisi ex se illud antea habuisset. De quo infra tractabitur.

7 Neminem deindè ignorare asseris, quod admittere Ducis Brigantiæ Legatum, vt Regij solent recipi, idem sit, atque coram tota Eccesia de vsurpatore illum declarare, & legitimum approbare Regem. Et ad hoc probandum, Constantini Magni exemplum adducis, qui ante Baptismum non erat legitimus Orbis Christiani Imperator, & post ipsum in legitimum migrauit; Vt hoc confirmes resolutionem negatiuam illius satis tritæ quæstionis supponis. An videlicet apud Principes infideles sit vera iurisdictio? Et pro ea citas Mastrillum lib. 1. de magistr. cap. 9, qui tamen oppositum sentit. Sed tu, vt assoles, opinionem, quam ipse reprobat, vel saltem minus probat, illi attribuis, & de ea, quam omninò amplectitur, nullam facis mentionem. Verum quidem est, quod Mastrillus pro parte negatiua citat Bald. in l. cum multa C. de bon. quæ liber. asserentem, quod Constantinus Imperator post eius baptismum in resignatione Legalium, quam fecit B. Syluestro, resignauit etiam ensem, ostendens se non legitimè vsum fuisse gladij potestate, nec legitimè Imperium obtinuisse. Sed cum bona venia Baldi præfata renunciatio ensis est omninò ficta, seu imaginaria; nam cum Concilium Romanum sub Syluestro Romæ coactum: Anastasius scriptor accuratissimus: Gregorius Turonensis: Hincmarus: Acta Syluestri Hadrianus Papa IV. Concilium Nicænum 2. & tomus 3. Epistolarum Decretalium; Nicolaus I. Nicephorus: Reginaldus Polus: Cardi-

nalis

nalis Baronius:ac tandem Ciaconius in vita Syluestri nihil de tali ensis resignatione referant: non est credendum, quod ea facta sit, & tot Authores, maximè, qui eodem tempore, vel saltem parum post vixerunt, de illa nihil penitus asseruissent. Sed concedamus, quod ita esset, non proinde sequebatur quod Constantinus ante baptismum non esset legitimus Imperator.

Ad Mastrillum tandem deueniendo, duas inpræfata quæstione proponit opiniones: ex quibus primam, quæ defendit apud Reges, & Principes infideles esse veram, & legitimam iurisdictionem, sequentibus verbis approbat. *Prima opinio verior est, vt in istis infidelibus sit vera iurisdictio, illisque obediendum esse, vt post plura fundamenta tradit Salas de legib. disp. 7. sect. 15. num. 72. & Suarius in simili tract. lib. 3. cap. 10. Qui damnant contrariam opinionem.* Vnde iam patet, quod licet Constantinus resignasset ensem ad pedes Syluestri, hoc non est probatio, sed nec etiam indicium, quod antea non esset legitimus Imperator: sed tantummodò fuit demonstratio quædam religiosa suæ conuersionis, & humilitatis respectu Summi Pôtificis. Quod autem Principes infideles veram haberent iurisdictionem confirmanit Christus Dominus, quando iussit reddere Cæsari, quæ erant Cæsaris, quod non iuberet, si Cæsar non esset legitimus Imperator. Vnde falsum conuincitur, quod concludis ex præfato exemplo: videlicet, quod ex receptione Oratoris Lusitani à Summo Pontifice, eius Regem de Regni inuasore migrare in verum, ac legitimum Regem: Pontifex namque Oratorem admittens, & Regem in suo Diplomate nominans, nec dat illi ius aliquod, si illud aliundè non habet, nec Regi Catholico idem tollit, si illud ex se habet: sed tantummodò ab eo, qui Regnum possidet, obedientiam acceptat. 8

Resolutio hæc ipsius est Sedis Apostolicæ, semper in practica repetita, quod scilicet, quando Summus Pontifex aliquem titulum cuiuscunque dignitatis in suorum Diplomatum inscriptione alicui tribuit, non proindè ei concedit, quod acquirat, seu possideat præfatam dignitatem, si aliundè eam legitimè non possederit. Ita Paulus III. quando misit Ioannem Moronum Nuncium Apostolicum ad Ferdinandum Romanorum Regem cum potestate intimandi Episcopis Hungaris, vt venirent ad Concilium, non obstante, quod essent inobedientes Pontifici, & authoritate Ioannis Vaiuodæ intrusi, & consequenter excommunicati. Rationem huius resolutionis reddens Concilij Tridentini historia à R. P. Sforza Palauicino hoc præsenti anno 1656. in lucem edita dicit esse, quia in Sacris Canonibus declaratur, quod quando Papa in suorum Diplomatum, seu Epistolarum inscriptione alicuius dignitatis titulum cuicunque tribuit, non proindè ille, cui tribuitur, ius aliquod acquirit, si illud antea non habebat. 9

Deindè admirando quæris, quisnam in toto Orbe omnem formidinem non expellat, quam modò de Regia dignitate illius Regis habet, si viderit eius Oratorem in aula Romana æquè, atque alios Ecclesiæ Regum & Principum Oratores à Summis Pontificibus recipi? Hæc interrogatio rerum humanarum denotat ignorantiam: supponit enim hac nostra ætate, quin immò & transactis seculis, iura Regnorum cæremonijs, non verò armis defendi. Si Lusitanus contra Catholicum illis præualet, quanuis nunquam à Sede Apostolica admittatur, semper firmus, stabilis que consistet: Si autem recipiatur, viribus tamen, ac potentia deficiat, quid illi proderit præfata receptio? Actio illa admissionis, seu receptionis, nec tribuit Lusitanio ius aliquod, nec Catholico illud aufert, cum hodiè vtriusque iustitia iam in armis sit posita: qui illorum contra alium ipsis præualuerit pro se obtinebit sententiam. Vnde si adeo exoptas, quod Rex Catholicus præfatum Regnum recuperet, optimum illi præbe consilium, vt copioso, validoque exercitu illud inuadat, ac vincere procuret, aliter enim de eo actum est. 10

Præteritis mendacijs aliud etiam adiungis, dicens, quod Venetiarum, & Genuentium Respublicæ Lusitanos Oratores admittere noluerunt. Ad quam falsitatem demonstrandam, quid aliud opus est, quam a te amicabiliter quærere nomina præfatorum Oratorum, tempora in quibus fuerunt missi à dicto Rege, & in quibus talē exclusionē sunt passi? Quādo hæc omnia assignaueris, tibi respōdebo. 11

Sed interim addisce, quod nullus Princeps, ad quem Lusitanus suos misit Oratores 12

tores renuit eos recipere, immò omnes tanquam Regios eos receperunt, & tractarunt. Sic Christianissimus Rex Galliæ: Sic Britanus: & post eius mortem Protector Coromuel: sic Prouinciæ vnitæ Belgicæ: sic Regina Suetiæ, & post suam renuntiationem eius successor. Solus Rex Daniæ se excusauit, eo quod fæderatus esset Imperatori, cuius amicitiam non poterat violare. Nihilominus tamen, licet Lusitanum Oratorem publicè non admiserit, priuatim illum honorificè tractanit, ad prandiumque inuitans cum illo, & suo secretario in mensa discubuit. Isti fuerunt, Amice, Principes illi ad quos Rex Lusitanus suos misit Oratores, quia cum ijs de rebus sui Regni agere oportebat. ad Respublicas autem Venetam, & Genuensem nullos misit Oratores, quia nihil pertractandum cum illis sibi necessarium existimauit. Si autem de aliquo agere cum eis opus esse iudicaret, nunquam de tantorum Principum rectitudine dubitauit, quin suos Oratores, tanquam Regios, admitterent. Sed, proh dolor, in sola iustitiæ Sede non dico iniustitiam (absit enim hoc) sed nimium rigorem, nisi forsan ab aliquibus integritas appelletur, est expertus. Nunc tamen fidenter sperat, vt Dominus (sicut Abrahamus olim dixit) in montibus, seu ex montibus respiciat, & resplendeat.

13 Ex præfatis infers, quod S.D.N. Alexander nullum ex suis Prædecessoribus imitaretur, si Regem Lusitanum reciperet: cum nunquam Sedes Apostolica Principatum alicui approbare consueuerit, etiam possidenti, cum præiudicio adhuc leuissimo iuris tertij; etiam cum posset dictum Principatum cuilibet occupanti pro arbitrio concedere. Et ad confirmandam hanc tuam confusissimam resolutionem adducis exemplum Alexandri VI. qui occupationem Indiarum Occidentalium factam a Ferdinando Catholico approbauit, cum clausula tamen, nisi possessæ assent per alium Principem Christianum, quando per ipsius Capitaneos fuerunt inuentæ. Et nihilominus Pontifex duplici titulo de illis disponere poterat. Primò quia cum habitarentur ab infidelibus erant sub dominio Christi Vicarij tanquam vacantes legitimo Principe, vnde de illis disponere poterat. Secundo, & magis recepto titulo, quia Ferdinandus illas sibi comparauerat ob commune Ecclesiæ bonum, ad fidem scilicet propagandam sicut Pontifici promiserat.

14 Confusissimam dixi tuam resolutionem, confusissimum nunc etiam dico tuum exemplum, quia in vtroque sub vna veritate, multa falsa commisces. Veritas illius est, quod non solet Sedes Apostolica Principatum alicui approbare cum præiudicio tertij: ita fateor: non tamen, quod ex receptione Oratoris Lusitani, Regi ipsius ius aliquod denouo accrescat, si illud antea non habuisset. Hac enim receptione Pontifex non iudicat illum esse legitimum Regem, sed recognoscit tantummodò esse Regem Regnum possidentem, quod nemo negare potest, quantumuis Pontifex eius Oratorem numquam recipiat. Cumque Regnum possidens, iuxta Pij II. sententiam superius allatam, pro Rege à S. Sede recipi debeat, non video rationem obiquam S. D.N. Alexander VII. eum admittere non possit, vt tu iniustè consulis.

15 Falsa quæ commisces, duo principalia sunt: primum, quod terræ illæ, siue Regna Indiarum essent vacantia, quia ab infidelibus habitabantur. ac consequenter, quod posset Pontifex occupantibus ea concedere. Tibi ipsi contradicis, licet enim hoc absolutè proferas, postea tamen ad finem eiusdem §. præfatam resolutionem modificas: videlicet, quod Pontifex infidelium Regna Catholicis expugnanda, & sibi occupanda concedere poterit, si ipsi barbari Euangelij prædicationem impedierint, quod tamen non aliter, neque alio modo omnes Theologi apud Dianam loco àte citato ei concedunt. Atqui ex historia Episcopi Chiapensis natione Hispani constat, & fatentur omnes, Indos illos præsertim eorum Reges, & Principes nunquam Euangelicæ prædicationi restitisse, immo eam totis visceribus fuisse amplexos: quo ergo titulo, vt tu asseris, poterant suis Regnis, & Principatibus, immo & ipsa uita expoliari? Non dubito, quod intentio Pontificis, & etiam ipsius Regis Catholici sancta, & iusta esset: attamen effectus intentioni non correspondit. Acproinde præfatus Episcopus non acquisitionis titulum, sed destructionis præfatæ suæ historiæ apposuit, vt ex ipsamet patet. Secundum etiam mendacium manifestè constat, quia licet postea piorum religio-
forum

sorum zelo, doctrina, atque prudētia lex Euangelica in dictis partibus fuisset promulgata, non tamen dum per plures annos auaritia, & ambitio expugnatorum viguerat. Et ab hac materia, quanuis satis nota melius est abstinere, nè videar Nationi Hispanæ detrahere velle.

Huic maiori propositioni tuæ instantiæ falsissimam addis minorem: videlicet, quod quādo Regnum Lusitaniæ vsurpatum fuit à Duce Brigantiæ illud actualiter iustè & legitimè erat possessum per Regem Catholicum, vnde non poterat hodiæ præfatus Dux à Sede Apostolica approbari absque manifesta sublatione iuris quæsiti ipsius Regis Catholici. Iam non semel te admonui, quod male colligitur consequentia vera ex præmissis, vel omninò falsis, vel quæ non sint legitimè probatæ. Maior igitur tui argumenti, vt iam ostendi, falsissima est, minorem non probas, sed veram tuo affectu supponis, immò est improbabilis, siquidem nemo vestrum post tot annos eam probauit, vnde consequentia nihil colligit. 16

Ad illud, quod subiungis, videlicet, quod Ferdinandus terras illas Indiarum ob commune Ecclesiæ bonum, & fidei propagationem occupauerit, Dux autem Brigantiæ Regnum illud ob suum priuatum commodum, cum ad id nullum ius haberet, quo ad primam partem satis supra est responsum. Quod autem ad secundam attinet, fateor non solum propter suum commodum, sed etiam, quia cum iuxta iura Regnum illud suum esset, vi autem sublatum fuisset à Philippo II. D. Catharinæ suæ Auiæ, sibi restituit quod suum erat, immo (vt verius dicam) ab ipso Regno restitutionem sibi factam acceptauit. Si autem Regnum prædictam restitutionem legitimè facere valebat, an non? inferius videbis. 17

Concludis hoc tuum tertium dubium alijs duobus exemplis, Clementis VI. qui primo noluit confirmare expugnationes Insularum Canariarum Ludouico Comiti Claramontano, cum præiudicio iuris Regis Portugaliæ, licet tenuissimi. Secundò aliquas terras Ludouico Hungaro confirmauit, ea tamen lege, dummodò in illis nulli alias esset quæsitum ius. 18

Hæc tua exempla inutilia, disparia, atque omninò extra rem sunt: Eoquippe solummodò tendunt, vt probes, quod Sedes Apostolica non solet approbare possessionem alicuius Principis, cum præiudicio iuris alterius. Ad hoc autem probandum non estopus exempla adducere, cum in confesso sit apud omnes, qui Catholici sumus. Sed cum ex præfatis exemplis inferas, seu potius supponas ex receptione Oratoris Lusitani à Sede Apostolica Regi Catholico, ipsius quę iuri præiudicium inferri: quid vis, vt tibi respondeam? Offeram nè exempla inutilia, vt tu fecisti, tibi persuadens, quod victoriam iam sis consequutus? Minime quidem. Quid igitur offeram? Sanè nihil melius, quam ipsum Sacrum Canonem, de quo supra ex historia Concilij Tridentini mentionem feci. Traditur lib. 5. Clement. de sententia excommunicationis. Cap. Si Summus Pontifex. Vbi ita decernitur. *Similiter quoquè si quem sub titulo, cuiuslibet dignitatis ex certa etiam scientia, verbo, constitutione, vel litteris nominet, honoret, seu quouis alio modo tractet, per hoc indignitate illa illum approbare non intelligitur, aut quidquam ei tribuere noui iuris.* 19

Et licet præfatus textus declaratione non indigeat attamen expressiùs ipsius glossa loquitur, de excommunicato ita habens. *Papa sciebat me esse excommunicatum habuit mecum communicationem, quia fortè misit mihi litteras, in quibus dabat mihi benedictionem, vel fortè dabat mihi osculum, vel alio modo habuit mecum communicare.* Et infra: *Ponamus quod eram intrusus in aliquo beneficio, ita quod non habebam titulum & Papa scripsit mihi litteras, in quibus appellauit me Episcopum illius loci, quem obtinebam sine titulo. Quæritur an, per hoc videatur mibi ius tribuere in illo beneficio? Respondet Clemens Papa, quod non.* Cum tamen præfatum exemplum dictæ glossæ loquatur de Episcopo intruso, & textus de dignitate aliqua in generali, postea explicat dicta glossa, *de dignitate Ecclesiastica, & saeculari, cum eadem sit ratio.* 20

Quid amplius vis? Non ne vides, quod Pontifex, nec dando benedictionem Apostolicam, aut osculum, seu aliquo alio modo communicando, etiam per litteras, dat, confirmat, vel approbat alicui, licet intruso, seu excommunicato titulum verum, seu legitimum, si illum antea non habuerit? In quo ergo S.D.N. Alexander VII. recipiens Oratorem Lusitanum tanquam Regium, ad præstandam sibi obe- 21

bi obedientiam pro illo Rege, qui actualiter Regnum possidet, iuri Catholici Regis, si quod ad præfatum Regnum habet, præiudicabit? Vnde etiam scandalum resultabit, quod certissimum asseris futurum? Hoc certè de Rege Catholico Philippo IV. nullo nullo modo credo, si fortè tamen aliquod resultauerit, ex parte ipsius (vt iam supra dixi) erit datum, non verò acceptum. Itaque conclusio est, quam vniuersus Christianus Orbis, & maximè Romanus populus non sine magna probabilitate sperat, quod S.D.N.Alexander VII. vbi primum per tempus sibi licuerit, præfatum Oratorem Lusitanum solitis cæremonijs solemniter recipiet, Ecclesiasque Lusitanas dè Pastoribus à suo Rege præsentatis, vel nominatis quam citius prouidebit.

22 Sedenim cum ex hac tota tua Epistola manifestè constet, tibi plus placere exempla, quam rationes ex iure deductas: vnum accipe, cuius efficacitatem, si euacues, eris mihi magnus Apollo. Robertus Brusius affectato Scotiæ Regno rebellionem mouit contra Eduardum Angliæ Regem: *quam defectionem* (inquit Odoricus Raynaldus tom. 15. anno 1306. num. 15.) *diuinæ in Eduardum vindictæ nonnulli vertère*. In Scotiam igitur se proripiens Sconæ Regale diadema accepit: & ex inde ancipiti Marte cum vtroque Eduardo Seniore, & iuniore per nonnullos annos dimicauit, ac tandem plura oppida, & Ciuitates Anglicani Regni suis armis occupauit.

23 Interim Summus Pontifex Ioannes XXII. sanctissimo zelo exardescens, præfatos Principes, ipsorumque Regna in concordiam, & amicitiam reducere exoptauit: & ad hunc laudabilem, ac sanctum consequendum effectum, duos Legatos Gaucelinum titulo Sanctorum Martyrum Marcellini, & Petri Præsbyterum, & Lucam S. Mariæ in Via lata Diaconum Cardinales misit, & Eduardo, ac Roberto scripsit, vt Cardinalium monitis obsequentes essent. Robertum tamen non Regio, sed magnifici viri titulo ornauit: sequentibus verbis se excusans. *Quia (inquit) dissensionis negotio interte, ac præfatum Regem super Scotiæ Regno pendente, decenter non possumus tibi Regij tituli nomen adscribere, prudentia tua molestè non ferat, si te Regem Scotiæ in eisdem litteris ommisimus nominare: præsertim cum ad nominationem huiusmodi fratrum nostrorum Consilium nequaquam accederet; nec Romana Ecclesia mater tua, quæ suos processus, & actus in statera æquitatis appendit inter dissidêtes consueuerit aliquid cum præiudicio alterius immutare. Datum 16. Kalend. Aprilis anno 1.*

Odoric. tom 15. anno 1317. nu. 42.

24 Nihilominus Robertus, acceptis litteris, rem cum suis in consilio seagitaturum dixit: Et postea à Proceribus Scotis Cardinalium Nuncijs inscriptis responsum est, nullum pacis tractatum ipsos admissuros, nisi Robertus in eo Regio nomine insigneretur. Quin immò & ipse Robertus nullam se pacis mentionem auscultaturum vnquam professus est, nisi prædicto titulo Regio ornaretur; & nè quidem litteras Pontificis excipere dignatus est. Quod maturè, prudenterque considerans Ioannes Pontifex, anno 5. sui Pontificatus nomen Regium Roberto detulit sequentibus litteris.

Ioannes &c. charissimo in Christo filio Roberto Regi Scotiæ illustri.

25 Licèt nobis non esset incognitum, quod per talem denominationem (Regiam scilicet) nec poterat iuri dicti Regis Angliæ detrahi, nec tibi nouum aliquod ius acquiri, prout habet constitutio felicis recordationis Clementis Papæ V. Prædecessoris nostri super hoc ædita, cuius copiam tibi sub Bulla nostra transmittimus: nè tamen saltem, quantum ad vulgi labia, videretur per denominationem eandem aliqualiter in ius dicti Regis impingere, dissentionis inter te, & Regem ipsum super Regno Scotiæ pendente negotio, aut Romanæ Matris Ecclesiæ, quæ suos processus, & actus in statera æquitatis appendens, inter dissidentes nihil immutare cum alterutrius præiudicio consueuit laudabili obseruantia derogare, ipsius iam dictæ denominationis titulum tunc de fratrum nostrorum consilio consultè prouidimus subticendum; nunc verò vulgari murmuri postponentes veritatis essentiam, & ipsius Ecclesiæ seruare morem in tui scandalum non curantes, tibi per præsentes sub intitulatione Regia scribimus, vt per huiusmodi nostræ benignitatis amabilem condescensum, ad condescendendum nobis in ijs, quæ placida sunt

Regi

Regi pacifico, tuisque fructuosa compendijs, tuum faciliùs animum inclinemus. Datum Auinio 12. Kalend. Nouembris.

Deindè, vt in dictis litteris contenta firmiùs roborarer, illaque non solo suo exemplo, sed etiam ipso iure stabilita manerent, alias litteras dicto Roberto transmisit, in quibus Clementis V. Constitutionem inseruit, qua cautum erat Romanum Pontificem non censendum cuiquam Regiam dignitatem confirmare, quanuis vel litteris id nomen ad scriberet, vel alia quauis ratione, vt Regem pertractet: & sunt quæ sequuntur. 26

Charissimo in Christo filio Roberto Regi Scotiæ illustri.

Nè tuam Celsitudinem lateat Constitutio, quam felicis recordationis Clemens Papa V. Prædecessor noster super hoc edidit, quod Romanus Pontifex aliquem sub titulo cuiuslibet dignitatis ex certa etiam scientia, verbo, Constitutione, vel litteris nominando per hoc eum in illa dignitate non intelligitur approbare, aut quidquam ei tribuere noui iuris: præsentibus inseri iussimus Constitutionis prædictæ tenorem, qui talis est. Videlicèt quem supra numero 18. retulimus. 27

Ad Eduardum autem Regem Angliæ scripsit se nihil aliud iustitia seruata facere potuisse: eumque est hortatus, vt optimo assentiretur consilio, nec se aliquorum inanibus verbis subornari pateretur. 28

Si S.D.N. Alexander VII. Prædecessorum suorum exempla, & decreta sequi debet, vt tu consulis, & meritò defendis, id ipsum omninò faciendum, quis sanæ mentis dubitare potest, ac proinde eodem modo se debere cum Rege Lusitano habere: tanto maiori ratione quantò efficaciùs eius iustitia vrget. Quod vt luce meridiana clariùs, faciliusque videatur facta tum ex parte Pontificum, tùm ex parte ipsorum Regum inter se conferamus. 29

In primis Robertus fuit manifestus Regni Scotiæ vsurpator, rebelis Eduardo absque vllo legitimo, immò nec colorato titulo. Ioannes autem nec vsurpator, nec rebellis, vt tu falsò, & impudenter dicis, sed instaurator, & occupator legitimus, vt infra demonstrabo, quinimmò nec occupator, sed in possessionem à legitimo Iudice pacificè missus. Deindè Robertus Scotiæ possessione non contentus Angliam inuasit, plerasque terras sibi occupauit. Ioannes nisi lacessitus arma sua in Regni Castellæ ditionem non misit, neque vllum bellum illi intulit: si quid autem eius ditionis occupauit, prius fuit offensus, ita vt potiùs in ordine ad suam defensionem, quam ad Regis Catholici offensionem arma sumpserit. Robertus, nec Romani misit Oratores, nec Pontificis Legatos admittere voluit. Ioannes verò quatuor misit Oratores, seu Ministros, & pro Legatis Pontificijs mittendis semper supplicauit: & tamen neque illi admissi fuere, neque isti missi. 30

Facta autem ex parte Pontificum dissimilia etiam omninò extitere. Papa enim Ioannes omnibus modis sibi possibilibus præfatos Reges in concordiam vocare studens ad vtrumque suos misit Legatos. Vrbanus autem, & Innocentius nihil de Ioanne, nec de Lusitano Regno curantes, cum solo Philippo præfata negotia tractabant. Nunquam Ioanni scripserunt, nec etiam sub titulo. Magnifici viri, se Regem Lusitaniæ dicentis, vt Papa Ioannes Roberto scripsit: nec illam rationem se excusandi, quam prætexuit Papa Ioannes, prætexuerunt. Et tandem Ioannes Pontifex vulgari murmuri veritatis essentiam postponès Robertum Regem agnouit, & in suis litteris nominauit, quanuis de consilio Cardinalium dictum titulum Regium subticendum priùs prouideret. Vrbanus verò, & Innocentius etiam prehabita resolutione Congregationis Cardinalium, quæ decreuit Ioannem, saltem post triennium Lusitaniæ Regem esse recognoscendum, nec illum recognouerunt, nec spem aliquam eum recognoscendi insinuarunt, immò ad instantias pro parte ipsius factas semper insurduerunt, quanuis Innocentius ad extremum suæ vitæ periodum deueniens, aliquam fecerit demonstrationem, qua videbatur præfatam causam omninò definire velle, tamen morte præoccupatus, vt supra dixi; negotium indecisum permansit. 31

Cumque Pontifex Ioannes, non solum post tot annos vulgari populi loquela spreta Robertū Regē agnouit, & in suis litteris nominauit sed etiā illi Clemētis decretum remisit, sic certissimum existimo Sanctissimum D.N. Alexandrum VII. Ioannem 32

annem Lusitanum Regem recogniturum, nominaturumque fore; nè & exempla & Constitutiones suorum Prædecessorum parui pendere videatur: non enim de tam sancto, ac doctissimo Patre præsumendum est, quod potiùs vulgari loquelæ, quam Prædecessorum suorum vestigijs, & decretis adhærere velit: ex eo maximè, quia hodiè etiam vulgaria populi labia Ioannem Lusitanum Regem publicè, & apertè proclamant, ita vt dicere possimus cum Propheta. Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, vt destruas inimicum &c.

Pro complemento huius tuæ monstrosæ epistolæ sequens impedimentum ex parte Lusitani Regis proponis

Quia nullo titulo, aut effugio excusari potest Dux Brigantiæ quin (saltem in foro exteriori) sit habendus manifestus periurus: quo casu tum de iure, tum ex perenni consuetudine Sedis Apostolicæ, nec est eius Orator admittendus, immò nec quidem audiendus à Summo Pontifice.

1 VT hoc impedimentum stabilias multa ineptè, & absque necessitate congeris de vinculis, quæ ex quolibet resultant iuramento, asserisque iuramentum licet iniquum, & iniustum semper obligare, saltem in foro exteriori, dummodò non relaxetur à Superiore authoritatem habente, qualis in hoc casu est solus Summus Pontifex, vel aliquis vices eius gerens: ex quo deducis tum ipsum Regnum Lusitanum, tum Regem etiam Ioannem ab obedientia Catholici se eximentes, periuros fuisse, quippe qui prædicto Regi Catholico, & eius Prædecessoribus fidelitatis iuramenta præstiterunt, quorum vincula à Superiore legitimo, illis non fuerunt relaxata, quod omninò opus erat, nè periurium committerent.

2 Ad hoc probandum nonnulla adducis exempla, videlicet Bonifacij VIII. Cum Alberto Austriæ Duce. Pauli IV. cum Ferdinando I. Imperatore. Innocentij III. cum Philippo Imperatore, Gregorij III. cum Archiepiscopo Laudicensi: quibus omnibus infra respondebimus, illorumque ineptam ad nostrum casum applicationem clariùs meridiana luce ostendemus. Sed interim tuæ præfatæ resolutionis falsum esse vnicum fundamentum demonstrare necesse est.

3 Illud quidem consistit in eo, quod Ioannes Brigantiæ Dux non fuerit legitimus Lusitaniæ Rex, sed inuasor, & vsurpator præfatæ Coronæ. Quod vt falsissimum constet, supponendum est Henricum Lusitanorum Regum vltimum, cum se absq. prole aliqua discessurum agnosceret, erat enim Sacerdos, & Episcopus Cardinalis, nè post ipsius obitum inter prætendentes Regni hæreditatem dissentiones agitarentur, prudenter, ac iustè in vita sua controuersiam finaliter decidere, resoluisse; vel saltem iudices, qui eam iuridicè, & prout iustitia postulasset, deciderent, stabilitos, & confirmatos relinquere. Adhoc Comitia Generalia totius Regni conuocauit, illisque proposuit, se valdè exoptasse præfatam decidere controuersiam, cùm tamen propter suam senectutem, ac debilitatem vereretur, ne id in vita sua perficere posset, voluisse saltem de remedio opportuno in casu mortis prouidere, vt discordijs, & dissentionibus prætendentium in Regni dispendium, immò, & totalem ruinam obuiam iretur. Volebat igitur ille sua authoritate iudices nominare, qui post ipsius discessum controuersiam dirimerent, Regniq. successionem illi adiudicarent, ad quem de iure attineret. Noluerunt tamen Comitia Generalia huic suæ intentioni assentiri, quia in rei veritate non poterat ipse præfatos iudices deputare, cum eius morte Regia authoritas omninò expiraret: Conuentum tamen est, vt præfata Comitia vigintiquatuor personas eligerent, ex quibus Rex ipse vndecim approbaret, quibus ex tunc eadem Comitia suam impertirent authoritatem, vt totius Regni nomine dictam successionis controuersiā dirimerent. Quod ita factum est, & Rex nomina vndecim à se approbatorum in quodam scrinio sub tribus clauibus recondidit, quarum vna Præsidenti Concilij Vlixbonensis, & reliquæ duæ duabus alijs personis grauissimis consignatæ fue-

re:

re: vt post Regis mortem, si causa decisa non maneret, aperiretur scrinium, & præfati iudices publicarentur, suumque munus exercerent.

Interim tamen præfatus Henricus litteris suis omnes prætendentes ad dictam causam controuertendam, de suaque iustitia dicendum citare fecit: Regi autem Catholico speciali respectu propria manu scripsit. Reliqui omnes (erant Catharina, Antonius, Dux Sabaudiæ, Dux Parmæ, & Regina Galliæ) vel per se, vel per procuratores suos ad iudicium accesserunt, solus Rex Catholicis cum alijs concurrere neglexit. Nihilominus tamen per suos Legatos, Ducem nempè de Ossuna, D.Christophorum de Moura, & alios, iam minis deterrere, iam promissis attrahere procurabat, volens, vt absque vlla controuersia,& Rex Henricus Successorem Regni ipsum declararet, & Proceres, ac populi, vt talem admitterent. Vnde factum est, vt Henricus, causa indecisa, obiret. 4

Defuncto igitur Rege, Gubernatores Regni duos Legatos Regi Catholico iterato miserunt, omni modestia supplicantes, nè successionis iudicium perturbare, aut impedire vellet: protestantes paratos se esse ad illum admittendum, pro Regeque recognoscendum, quem iudices verum esse Successorem decernerent. Renuit tamen Philippus præfatis supplicationibus acquiescere, immò acriter, superbè quæ respondit, nisi se ipsum pro suo legitimo Rege, absque vlla controuersia admitterent, statimque obedientiam sibi præstarent, introducturum subitò suũ exercitum, & classem naualem in ipsum Regnum, vt armis ius suum compararet, quippè qui certus erat se esse verum illius successorem. Quod præuidens Summus Pontifex Gregorius XIII. per suum Nuncium in Hispania commorantem D.Philippum Sega filialitèr admonuit, nè arma sua in Lusitaniam introduceret: vidensque, quod præfatam admonitionem parui penderet, ad ipsum denuo exhortandum, immo si opus esset, compellendum in Hispaniam, ac Lusitaniam Legatum à latere misit Cardinalem Alexandrum Riarium, quem dictus Philippus suis solitis cauillationibus politicis, sub titulo honorem, & beneuolentiam illi præstandi, in omnibus Ciuitatibus, per quas transiturus erat, detineri fecit; ita vt non posset secum loqui, nisi in Pace Iulia (vulgò Badajoz) quando Exercitus & classis naualis iam Vlysiponem contendebant. Et sic delusa, seu veriùs spreta Pontificis legatione (vt refert vester Conestagius, cuius narrationem ad vnguem sequor) præfata arma in Lusitaniam introduxit, ipsamque omninò de populatam, tum ob cladem Africanam, tum etiam ob pestem actualiter in Ciuitate Regia grassantem facillimo negotio occupauit; atque sub suam redegit potestatem, eisdemque armis se iurare fecit Lusitaniæ Regem. 5

Hoc supposito facto, quod vestrum nemo negare potest, vtpote à vestro Chronologo Conestagio eisdem ferè verbis relatum, quis dubitare potest, quod Philippus II. fuerit dicti Regni occupator tyrannus, & intrusus, ac consequenter eius filius,& nepos detentores similiter tyranni, & intrusi. Vnde quilibet aliorum prætendentium, qui aliquod ius ad præfatum Regnum haberet, poterat, si occasio se se offerret, illud, expulso tyranno, sibi occupare: quia in iure dubio pro vtraque parte, cum neutri liceat Regnum inuadere, armaque sua contra alium mouere & si alter occupauerit, ius remanet alteri, se, & Regnum defendendi ab iniusto inuasore, & tyranno. Ita Filliucius tom. 2. tract. 29. cap. 9. num. 184. Et Pater Oniedo de Charit. dis. 169. de bello sect. 7. §. 66. Quiquidem addit, quod, si aliquis ex litigantibus, seu prætendentibus nolit ad aliqua media rationabilia, quæ sibi proponantur, venire, iure poterit ab alio propter iniuriam factam armis oppugnari, & Regnum sibi acquirere. Et hæc est sententia, & doctrina communis omnium Doctorum negãtium absolutè posse Principem aliquem solo iure dubio, seu probabili Regnum totum, de quo est controuersia, sibi armis occupare. Ipsos videre poteris apud Anti-Dianam à num. 90. vsque ad 109. 6

Quod autem ius Catharinæ, & Philippi circa successionem Regni Lusitani esset saltem dubium, & litigiosum, dignumque, quod non armis, sed iudicio decideretur, generali doctrina docuit P. Vasquez Doctor Hispanus, & Complutensis in 1. 2. disp. 64. sect. 2. sequentibus verbis: *Tunc censendum est ius vnius Regis contra alium litigiosum, & dignum esse, quod iudicio, & non armis dirimatur, quoties iudicio Iu-* 7

risprudentum in iure ipso vtrinquè sunt probabiles rationes, quæ si essent inter priuatos Principes, censeretur causa ita litigiosa, & difficilis, vt nullus litigatorum contra iustitiam manifestè litigare censeretur, si peteret contra alium id, dequo esset controuersia.

8 Cumque pro Catharinæ iure tota Academia Conimbricensis, & plures alij Doctores scripsissent, & D. Petrus Barbosa, illius seculi iure optimo Bartolus, contra euidentissimum ius dictæ D. Catharinæ aliquid in fauorem Philippi scribere minimè posse eidem Philippo respondisset. Et pro Philippo, vt testatur Coronel in suo Philippo demonstrato, solus quidam aduocatus Vlixbonensis, nomine Alphonsus de Albuquerque, in iure scripsisset: nam Vernulæus, Conestagius, Augustus Thuanus, & Historiographi Hispani: seu alicuius alterius Regni Catholico subiecti more historico narrando, non vero resoluendo, scripserunt, & hoc aliquibus annis post occupationem Regni: Complutensesque Theologi, quos ex Conestagio asserunt Authores Hispani consuluisse Philippum, non fuerunt consulti de ipsius iure ad successionem dicti Regni, sed tantummodò an posset possessionem illius suis armis sumere, supposito quod affirmabat, se esse verum successorem, quod tamen, vt notum est, falsissimum erat: benè concluditur, causam esse litigiosam, & consequenter dignam, quod non armis, sed iudicio dirimeretur, vt docent dictus Pater Vasques, & omnes Theologi cum illo, quamuis nonnulli discordent in assignando iudice, qui causam iuridicè decidere deberet.

9 Hunc autem debere esse ipsum Regnum post vltimi Regis obitum, doctissimè defendit idem Vasques, quem videre poteris loco supra citato: cuius doctrinam ante, & post ipsum tenuerunt, acerrimèque defenderunt Turrianus, Valentia, Salas, Castro Palao, Thomas Sanches, Ioannes Sanches, Montesinus, Villa Lobos, Lorca, Antonius Peres, omnes Hispani. Et ex alijs Adamus, Becanus, Bonacinas, & alij, quos refert & sequitur D. Antonius Betancor in suo Anti-Diana nu. 39.

10 Cumque successio Regni Lusitani post Henrici obitum esset saltem litigiosa inter Catharinam, & Philippum, dignaque, quod iudicio, & non armis decideretur, ipse autem Philippus iudicio iuridico stare noluisset, quod erat ipsius Regni legitimè Congregati, vel illorum, quos dictum Regnum ad hunc effectum eligeret, immò nec admonitioni Pontificis, & eius Legati detulisset, sed cum armis, violentia, & manifesta tyrannide illud occupasset: licitè poterat Catharina, vel eius legitimus hæres, quandocunque per tempus sibi liceret, quod suum erat, sibi vindicare, etiam cum armis, si aliter illud recuperare non posset: nec dilatio temporis suo iuri in aliquo nocere poterat, quia iuxta Iurisconsulti Vlpiani decisionem in l. 3. §. Cum igitur ff. de vi, & vi armata. Illud censetur in continenti fieri, quod fit, quando commodè secundum rectum arbitrium fieri potest. Quam doctrinam sequuntur Mascard. de probat. conclus. 1065. num. 7. Aponte tom. 2. consil. 16. num. 14. & 15. Azeued. lege 71. num. 3. tit. 1. lib. 3. nouæ recopilat. Quod ad vnguem seruauit Rex Ioannes, immò & ipsum Regnum patienter sustinentes jugum Castellanum, donec occasio opportuna se se offerret.

11 His suppositis nemo sanæ mentis negare poterit præfatum Brigantiæ Ducem optimum habuisse ius ad sibi vindicandum prædictum Regnum, tum propter suæ Auiæ iura, cuius hæres legitimus erat, videlicet repræsentationis, vocationis, melioris lineæ, & agnitionis, de quibus latè disserit D. Vallasceus in suo primo tomo: tum etiam quia Philippus, licet aliquod ius habuisset ante Regni cum armis inuasionem, (quod tamen negamus) per eam illud omninò perdidit, vt est in confesso apud omnes Doctores classicos. Et similiter Regnum ipsum optimum etiam habuisse ius ad præfatam successionis causam finaliter decidendam, quia nullus alius eam decidere poterat, vt optimè probat Vasquez, & qui illum sequuntur.

12 Cumque, prout constat ex facto, & Regnum suum ius reassumens, a quo iniustè expoliatum fuerat à Philippo, in Comitijs Generalibus Ioannem Brigantiæ Ducem legimum Lusitaniæ Regem iuridicè declarauerit, ipsique tamquam vero Regi obediri iusserit: & ipse Dux ex parte sua præfatam acceptasset declarationem, dubitari non potest illum legitimum esse Regem à legitimo Iudice acclamatum, & declaratum, ac tandem salutatum.

Si er-

Si ergò Ioannes acclamatus, salutatus, & declaratus fuit legitimus Rex à Re-
gno, quod solum erat præfatæ causæ iudex, nec ipsum Regnum, nec ipse Ioannes, 13
vt tu exemplis, & rationibus male adductis probare intendis, fuerunt periuri.
Quamuis enim Regnum (de quo prius est agendum) fidelitatem Catholicis Re-
gibus repetitis vicibus promisisset, & iurasset, cum ipsi non essent legitimi Reges,
sed intrusi, & tyranni defectu iusti tituli, quotiescunque occasionem iustam, &
commodam ab eius seruitute se eximendi habuisset, licitè, & liberè se eximere
poterat: alioqnin nunquam Reges tyranni titulo à Regno expelli possent, si at-
tendendum esset adiuramenti vinculum, vi, & metu præstiti, qualia sunt omnia,
quæ Regibus tyrannis præstantur. Vnde cum DD. communiter doceant, (& ip-
se D. Nicolaus Fernandez à Castro in suo fatali, ac impudenti volumine. 5. p. cap.
7. sect. 2.) posse Rempublicam Regem sine iusto titulo Regnum occupantem, &
possidentem abdicare: nemo dubitare poterit iuramentum homagium præstitum
non ligare.

Rationem fundamentalem huius doctrinæ tradunt Doctores citati à Sanch. in 14
præcepta *Decalogi*. lib. 4. cap. 2. num. 18. & lib. 3. cap. 17. num. 4. asserentes iura-
mentum promissorium intelligi debere ex causa subsistenti illo tempore, quo præ-
stitum est, secùs si noua causa superueniat, vt constat ex cap. 2. de renunciat. Et
licet nonnulli dictam resolutionem impugnent, quia, ea retenta, nullus esset in
rebus humanis firmus contractus, sæpè enim contingunt aliqua, quæ si præuide-
rentur, contractus non celebrarentur. vndè dicunt præfati Authores opus esse
interuenire aliquem actum, saltem virtualem voluntatis, qui eum casum exclu-
dat: Sanchez nihilominus vtramque sententiam concilians, certissimum esse do-
cet rebus mutatis excusari quempiam à iuramenti, vel promissionis obligatio-
ne. Quod de promissione docuit Seneca quem refert, & sequitur Diuus Thomas
receptus ab omnibus 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. Et fatentur vniuersi, licet promissio
iuramento sit firmata: non tamen quamcunque mutationem satis esse, vt iura-
mentum, vel promissio deobligent, sed exigi notabilem mutationem, quamqui-
dem, optimè docent Caet. q. 113. & Molina tom. 2. de iust. disp. 272. prudentis ar-
bitrio æstimandam esse qualitate, & quantitate rerum spectatis.

Cumque anno 1640. Status Monarchiæ Regis Catholici Philippi IV. esset no- 15
tabiliter mutatus propter vrgentia bella, quibus intra, & extra Hispaniam pre-
mebatur, vnde optima occasio Lusitanis se se offerebat excutiendi seruitutis iu-
gum, Regnumque legitimo, ac vero hæredi restituendi, quis dubitare potest, quod
deobligati censerentur à iuramentis Regibus Catholicis præstitis? Nam si Re-
gnum poterat Regem titulo tyrannum abdicare, quando se se offerret occasio,
illa oblata, non tenebantur vinculo iuramenti, quia iuramentum promissorium,
vt supra ostendimus, non obligat nisi ex causa subsistenti, tempore, quo præstitū
est: Secùs si noua causa superueniat. Atqui tempore, quo Lusitani præfata iu-
ramenta Regibus Catholicis præstiterunt, vrgebantur timore in constantem
virum cadente, propter magnam præfatorum Regum potentiam, ergo illa, &
timore cessante anno præfato 1640. propter rationes superiùs allatas, suo iure, à
quo inuiti fuerant expoliati, legitimè vsi sunt.

Insurgit nihilominus contra præfatam resolutionem dictus Nicolaus Fernan- 16
des à Castro loco supracitato sect. 3. 4. & 6. Verumtamen non audens negare,
quod Doctores Theologi, & Iuristæ vnanimi consensu docuerunt: distinguit, (sub-
terfugium quærens sed in vanum) inter Regna Catholica, & infidelium, dicens,
posse hæc priuare Regem tyrannum titulo, immò & exercitio, & subrogare illum,
ad quem de iure Regnum pertinet: illa autem minimè, nisi præcedat iudicium, &
approbatio Summi Pontificis. Quam quidem distinctionem attribuit Azorio, &
Suario locis ab ipso citatis: hanc eandem distinctionem à præfato Nicolao emen-
dicauit tuus collega in suo tractatu de potestate axauthorandi Reges resolut. 6.
sed acutè, & verè illum conuincit D. Antonius Betancor in suo Anti-Diana à nu.
127. & seqq. Quo loco poteris videre rationes, & fundamenta Lusitani Doctoris:
Attamen vnum tantum à me ausculta, quod fateor eiusdem esse Doctoris, quode-
monstrat præfatos Azorium, & Suarium ab ijs qui illos citant malè, seu potiùs

mali-

malitiosè fuisse intellectos.

17 In primis Ozorius loco à tuo collega citato sic asserit: *De Christianorum Regibus non videtur populus id iuris, & potestatis habere absolutè, & simpliciter, inconsulto, vel inscio Pontifice Romano*. Ergo (arguit ingeniosè Betancor) si populus consulat Pontificem, vel illum certiorem faciat, non negat Azorius posse populum per se, & authoritate propria Regem deponere, Regnoque priuare. Consequentia est immediata, quam nec tu, nec aliquis mediocriter Logicus negare potest: quia cum ex eo tantum dicat Azorius non posse populum simpliciter, & absolutè, quod deficiat consultatio, vel scientia Pontificis, vna, vel altera interueniente absque dubio poterit: ergò falsò asserit Patrem Azorium docuisse absolutè, & simpliciter, & sine vlla distinctione, seu limitatione posse Pontificem Reges exauthorare, supponendo non posse populum per se solum sine Pontifice. Nos enim non disputamus an Pontifex per se solum possit si casus occurrerit. Et ratio est euidentissima: Azorius enim non negat, immò supponit populum præfatam habere authoritatem Reges exauthorandi, si sint tyranni, sed tantum requirit ad hoc, vt illam exerceat, quod prius consulat, vel certiorem faciat Pontificem, quod sanè nihil aliud importat, nisi, quod etiam docet Molina, optimum nimirum esse consilium, vt quando dubij alicuius potest esse suspicio, consulatur Pontifex, non vt validè fiat, sed vt eius interueniente authoritate in maiorem causæ iustificationem fiat: vnde consultatio, seu scientia Pontificis antecedens iuxta verba Azorij, non requiritur ad esse (vt loquuntur Logici) sed tantum ad melius esse. In nostro autem casu maiori certitudine, quia si Pontifex priùs consuleretur, quis dubitat, quod, diuulgata Regni intentione, effectus penitùs impediretur? Quod P. Azorius non obscurè insinuat, cum dicto loco loquens de præfata Pontificis potestate, non semel asserat illam habere iure, & habitu, in actu autem solum in certis causis, hoc est in certis casibus. Ergo non absolutè & simpliciter.

18 Quod autem attinet ad P. Suarium, non solum non negat, sed etiam fatetur Rempublicam habere potestatem deponendi Regem tyrannum: sic enim docet contra Regem Angliæ lib. 6. cap. 4. num. 15. & seqq. *Potestatem deponendi Regem esse posse vel in Republica, vel in Summo Pontifice, diuerso tamen modo, nam in Republica per modum defensionis necessaria ad conseruationem suam: at verò in Summo Pontifice, tanquam in Superiore habente iurisdictionem ad corripiendum Reges etiam Supremos, tanquam sibi subditos*. Et quamuis hanc generalem doctrinam limitet postea, dicens: *Nihilominus Regna Christiana, quo ad hoc habere aliquam dependentiam, & sub ordinationem ad Pontificem Summum*. Cuius rationem reddens, sic addit. *Quia potest Pontifex alicui Regno præcipere, vt, se inconsulto, contra Regem suum non insurgat, vel illum non deponat, nisi priùs causa, & ratione ab ipso cognita, propter mortalia pericula*. Ergo si Pontifex antecedenter id non præceperit poterit Regnum vti iure suo deponendo Regem, si meretur deponi, quod idem Doctor tractatu de charit. disp. 13. de bello sect. 2. num. 5. apertiùs affirmat, dicens. *Quod non tenentur Principes præfatam facultatem à Pontifice extorquere, sed quandiù non probibentur, possunt ius suum prosequi*. Vndè cum nec Respublica Lusitana, nec Rex Ioannes prohibiti fuissent à Pontifice ius suum contra Catholicum prosequi, licitè, ac validè illum deposuerunt.
21 Et hoc sufficit, vt conuincatur Regnum per acclamationem Regis Ioannis, & depositionem Philippi IV. non commisisse periurium.

19 Quod verò attinet ad ipsum Regem Ioannem idem patet ex multibus capitibus, quibus omnibus ommissis, dico absolutè quod Rex Ioannes non fuit periurus, quia nec intentionem habuit, se obligandi præfato iuramento, seu iuramentis, immò nec iurandi, licet verba illa iurisiurandi ore protulisset. Constat hoc, quia priusquam ille, & Pater ipsius *D.* Theodosius ad præfata iuramenta præstanda accederent, protestati sunt secretò coram *Deo*, Angelis, & Sanctis omnibus se præfatam intentionem iurandi non habere, sed timore in virum constantem cadente, verba iuratoria ore tantum prolaturos: & de hac sua protestatione instrumẽtum, confecerunt proprijs manibus à se scriptum, & subscriptum, quod in quodam scrinio reposuerunt, & post mortem dicti *D.* Theodosij inuentum de nouo in eodem scrinio dictus Rex Ioannes seruauit. *De* qua quidem protestatione, & in-

instrumen-

ſtrumento dubitare non poterunt ipſi aduerſarij ſiquidem in omnibus ſuis ſcriptis aſſeueranter affirment Brigantinos Duces ad repetendum,& recuperandum ipſum Regnum ſemper aſpiraſſe. Vnde nonnulli Politici, vt teſtatur Mercurius in introductione ſui primi tomi, ignorantiæ Philippi II. verterunt non deſtruxiſſe, ac euertiſſe omninò Brigantinam Domum.

Suppoſito igitur, quod præfati Duces in dictis iuramentis præſtandis, nec iurandi, nec ſe obligandi habuerunt intentionem, ſed tantummodò verba illa iuriſiurandi ore protulerunt; diſquirendum eſt an defectus ille intentionis ſufficeret, ne periuri cenſerentur? Arguunt aduerſarij, & præſertim Coromuel, ac D. Nicolaus Fernandes non ſufficere præfatam intentionem non iurandi, nec ſe obligandi: verbis tamen potiùs inſolentibus, quam iuribus, & rationibus proclamant præfatos Duces nouam introduxiſſe Theologiam, nouumque ius inueniſſe, quod omninò ignorauit Bartolus. 20

Nihilominus tamen contrarium, ſcilicet, quod præfata intentio ſufficeret, vt non cenſerentur periuri, eſt veriſſimum. Et quo ad quæſtionem de obligatione iurantis, quando non habuit intentionem iurandi, nec ſe obligandi ex vi, ac religione iuramenti vniuerſi conueniunt Doctores non manere obligatum: ita teſtatur Sanch. in præcept. lib. 3. cap. 10. num. 4. affirmans eſſe communem ſententiam Doctorum iuramentum non obligare ſic iurantem. De altera vero quæſtione, ſcilicet quando quis habuit intentionem iurandi, non tamen ſe obligandi ad implendum promiſſum, nonnulli tenuerunt, talem iurantem manere ligatum vinculo iuramenti, verumtamen contrariam ſententiam non ſolum probabiliorem, ſed etiam certiſſimam reputat Sanches loco ſupracitato num. 8. & pro ea quam plurimos citat Doctores, quos ibidem videre poteris, aduerſariorumque argumentis doctiſſimè reſpondet. Cumque Rex Ioannes non ſolum non habuerit intentionem adimplendi promiſſum, ſed nec etiam iurandi, licet verba ore protuliſſet, certiſſimum eſt, non fuiſſe periurum Regni acclamationem, & ſententiam acceptando, ſibi que ipſum Regnum vendicando; quod Philippus II. vi, ac violentia ſuæ Auiæ eripuerat. 21

Facit etiam pro dicto Rege Ioanne ratio, quam ſupra adduximus populi Luſitani partes defendentes: nam licet Ioannes legitimè iuraſſet, & intentionem adimplendi quod iurauerat, habuiſſet, non ideò fuit periurus, quia acceptauit acclamationem, & ſententiam Regni: vt enim habetur in cap. 2. de renunciat ſupracitato; renuncians beneficium cum iuramento, poteſt illud poſtea acceptare, ſi de nouo ſibi conferatur: ibi Auton. num. 4. Abbas num. 9. Immola num. 2. Antonius Gomes lib. 22. Tauri num. 10. Vnde Sanch. dicto lib. 3. cap. 17. num. 5. & ſeqq. nonulla ponit exempla. Primum quia licentiatus in vna Academia, quando iurat non accepturum Doctoratus gradum in alia, intelligitur virtute illius licentiæ ſi autem poſtea in alia Academia acceperit gradum licentiatus, poterit in eadem Doctoratus accipere tanquam ex nouo iure. Similiter promittentem non offendere quemquam ſub iuramento non eſſe periurum; ſi ex noua inimicitia illata denuò iniuria eum offendat. Pari modo (& conducit ad caſum noſtrum) qui renunciat ſub iuramento ius ſuum, aut habitum, aut ſperatum, ſi ex alia cauſa ſibi obuenerit, poterit ipſum acceptare abſque periurio. 22

Sed dato, & non conceſſo, quod Ioannes vera, & ſincera mente iuraſſet, & habuiſſet veram intentionem ſe obligandi, cum nihilominus hoc intelligendum foret de iure, quod habebat ad Regnum tempore, quo præfatum iuramentum, vel iuramenta præſtitit, ſuperueniente ſibi nouo iure ex ſententia Regni illum legitimum Regem declarantis & acclamantis; certiſſimum eſt in acceptione præfatæ coronæ non fuiſſe periurum, ſed illud egiſſe, ad quod ex iuſtitia tenebatur. Patet ex cap. Venerabilem de elect. vbi Innocentius III. ſcribens Duci Zaringiæ, illum monet, vt non obediat Philippo, immò ab illo recedat omninò, non obſtante iuramento, ſi quod ei ratione Regni præſtitiſſet, quia eo, quantum ad Imperium obtinendum, reprobato, iuramentum huiuſmodi non debebat obſeruari. Vnde cum huiuſmodi rationes ſint adeò claræ, & euidentes, mitto alias, quas Luſitani Doctores in ſui Regis defenſionem adducunt, licet earum aliquæ ſint efficaciſſimæ. 23

P Præ-

Præsertim illæ, quæ tangunt obligationem reciprocam, etiam iuramentis promissam à Regibus Catholicis ex parte sua.

24 Sed enim nè superbè autumes, vt pluries te admonui, nos velle similitudinem, (seu verius dissimilitudinem) tuorum exemplorum generali doctrina effugere, ausculta tua mendacia, non solũ in ipsis contra nos adducendis, sed etiam applicandis. Primum igitur est Alberti Austriæ Ducis, cuius legatos, vt tu dicis, noluit audire Bonifacius VIII. eo quòd suborta (nescis qua) quæstione de nullitate electionis Adulphi, post eius coronationem, & fidelitatis iuramenta a Proceribus Germaniæ immò & ab eodem Alberto ipsi præstita: se eligi fecit in Regem Romanorum, & post cruentum prælium, necato Adulpho de nouo fuit electus. Sed nihilominus Bonifacius inauditos remisit præfatos suos Legatos.

25 Ita tu casum narras: attamen præfatus Bonifacius, cuius veritati potius est assentiendum, quam tuis mendacijs, longè aliter factum exponit. Sed antequam, quid Bonifacius in suo Diplomate scribat Archiepiscopis Maguntino, Coloniensi, ac Treuirensi Imperij Electoribus, ausculta quid Odoricus Raynaldus anno 1301. num. 1. a te citatus, dicat. *Maguntino, Coloniensi, ac Treuirensi Archiepiscopis prouinciam Alberto denunciandi tradidit, vt Oratores suos ad Sedem Apostolicam mitteret, ad impositum sibi læsæ Maiestatis crimen, quo, cæso Adulpho, se deuinxerat, purgandum*. Iam igitur ex hoc authore, quem pro te citas, euidenter constat te mendaciter asserere noluisse Bonifacium Legatos Alberti audire, & eos inauditos remisisse, cum asserat dictus Odoricus Pontificem præfatis suis Legatis Apostolicis expressè mandasse, quod Alberto denunciarent, vt suos Oratores ad Sedem Apostolicam mitteret. Constat etiam Bonifacium ex eo insurrexisse contra Albertum, quia Adulphum occiderat.

26 Ex ijsdem autem litteris præfati Bonifacij subdat. Lateran. idib. Aprilis Pontificatus eius anno 7. Constat similiter, quod nulla suborta quæstione super validitate, aut nullitate electionis Adulphi: *Albertus ad vomitum rediens* (sunt formalia verba Pontificis) *contra ipsum superbè rebellans, ipso Rege Adulpho viuente, de facto, cum de iure non posset, se in Romanorum Regem eligi procurauit, & cum ipso Rege Domino suo hostiliter in campo confligens de Rege eodem triumphauit, ipso occiso in prælio memorato, ac postmodum se eligi iterato procurans, in Romanorum Regnum se non expauit intrudi*.

27 Rationes autem ob quas præfatus Pontifex in prædicta causa decidenda se ingesserit, idem met sequentibus verbis in eodem Diplomate exponit. *Nos* (inquit) *ad quos ius, & authoritas examinandi personam in Regem Romanorum electam pro tempore, eiusque innunctio, consecratio, Coronatio, manus impositio, nec non denunciatio, seu reputatio idoneitatis personæ, vel formæ, & nominatio Regia, seu ratione indignitatis personæ, vel formæ reprobatio pertinere noscuntur &c.* Ac tandem citat, vel citari mandat præfatum Albertum, vt infra sex menses per suos Nuncios, & procuratores idoneos coram se de sua innocentia dicturus compareat.

28 Ex dicta igitur narratione facti, quæ, vt vidisti, constat ex eodem authore a te citato, & ex litteris ipsius Pontificis, manifestè conuincitur dissimilitudo, seu disparitas tui exempli contra te ipsum adducti. Primò, quia Bonifacius non remisit inauditos Alberti Oratores, immò per suos Commissarios illi expressè præcepit, vt eos ad se mitteret. Constat etiam, quod nulla suborta quæstione super validitate electionis Adulphi, Albertus sua malignitate, & ambitione cõtra illũ, qui absq. vlla cõtrouersia, seu dubio Rex erat Romanorum, suis armis insurrexisset, eumque Imperio, & vita priuasset. Constat similiter, quod Pontifex, licet ob sceleris atrocitatem posset in prædicta causa se iudicem instituere, attamen hoc non fecisset, nisi quia ad electionem Imperij ratam, aut inualidam iudicandã & decernẽdam Summi Pontifices sunt iudices ordinarij. Vndè licet, vt aduertit idem Odoricus loco supracitato numero 3. ad Palatinam Dignitatem causam Romanorum Regis decidere olim spectasset, tamen à tempore Vrbani IV. ad Summum Pontificem pertinere certissimum est.

29 In nostro autem casu omnia penè diuerso modo sunt peracta. Dux enim Briganriæ nihil contra Regem Philippum IV. intentauit: passiuè namquè (vt ita di-

cam)

cam) segerent, acceptauit acclamationem de se factam a Iudice competenti, vt latè probant Vallascus, in suo 1. tomo Betancor in suo Anti-Diana per totum, & cæteri omnes Lusitani scriptores. Illicò autem suum misit Oratorem ad Vrbanum VIII. vt nomine suo ipsiusque Regni obedientiam præstaret: postea duos alios Ministros ad Innocentium X. & nouissimè tandem alium Oratorem ad S. D. N. Alexandrum VII. qui quidem omnes quasi inauditi fuerunt: immò cum in particularibus Eminentissimorum Cardinalium Congregationibus ad hoc specialiter institutis, resolutum fuisset dictum Ducem pro Rege Lusitaniæ recognoscendum esse saltem post tres primos annos: consulta postea Hispanica Curia resolutio Romæ firmata penitus euanuit, vt enarrat Mercurius 2. tom. adducens propositiones Nuncij Apostolici apud Regem Catholicum residentis, & responsa illius Regij consilij. Deinde in causa Alberti Bonifacius procedebat, vt iudex, iuxta Imperij leges: in nostra autem causa, vt tu ipse fateris, nec Pontifex iudicis munere fungitur, nec ad hoc à nobis requiritur, vt eo fungatur, sed tantummodò, vt accepet obedientiam Principis Christiani, ad quam nomine suo præstandam, suos misit Oratores.

Sed iam ad finem huius quæstionis, siue exempli deuenientes videamus, quid postea fecerit Bonifacius post tot minas, & rigores. *Post duos annos,* (immò non completos, inquit Odoricus anno 1303. num. 1.): *detrahentibus palam Gallis de Pontificatu Bonifacij, confirmauit ipse Alberto Germanicum sceptrum, quamuis antea ipsum, vt Adulphi Regis cædis authorem, ac fœdifragum iudicio postulasset: siue illi coronam sine maxima populorum strage, & Christiani Orbis periculo eripi non posse præuideret: Siue contra Francorum Regis sibi aduersantis potentiam fortissimum propugnatorem comparare meditaretur.* Ego tamen de istis duabus rationibus iudicium ferre nolo, cum quidem ob eas dicat Odoricus Bonifacium Regnum Alberto confirmasse. Sed nihilominus quis prudens dubitare poterit illam primam in casu nostro fortius militare: Eripi enim Regi Lusitano Coronam illam non posse sine magna populorum strage, & Christiani Orbis periculo, euidentissimum est: non solum ob robur, & constantiam Lusitanorum, sed etiam quia ne illa à Rege Catholico iterum possideatur, omnes Principes Europæi, quibus odiosa est potentia Hispanica contra illum, suis armis insurgent, aut saltem secretò auxilia magna Lusitano præstabunt. Sed his missis rationes, quibus permotus Bonifacius Regnum Alberto confirmauit examinantes videamus si militant etiam in casu nostro. In litteris confirmationis datis Later. Pontificatus eius anno IX. sic ait Pontifex. *Te in Romanorum Regem vnaanimiter, & concorditer elegerunt: tuque huiusmodi electioni de te factæ, fuisti more Romanorum Regum apud Aquisgranum in Romanorum Regem postmodum coronatus, & deindè ferè per quinquennium exercuisti administrationem Regiam, sicut Prædecessores tui legitimè ac concorditer in Romanorum Reges electi exercere solent.* 31

Hæ rationes, vt vides, in casu nostro maiori ratione militant. Primò quia Rex Ioannes non fuit electus, quemadmodum Albertus vi, & violentia, sed declaratus spontanee legitimus Rex à Iudice competenti, nempè Regno. Secundò quia Albertus per quinquennium tantum administrationem Regiam exercuit: Ioannes verò per sexdecim annos: & nihilominus ille fuit receptus, confirmatus, & approbatus à Pontifice, hic autem nec admissus ad præstandam obedientiam, immò nec exauditus, tanquam si Ethnicus esset, & publicanus. Vnde igitur hoc prouenit? Primò, vt puto, ex calamitate temporum: Secundò forsan, quod Albertus Austriacæ Domus fortunam iam ex tunc experiri cœperat. 32

Aliud tuum exemplum est de Ferdinando Imperatore, qui suspectus tantum erat deperiurio, eo quod in Conuentu Vormatiensi Hæreticorum impediendo segniter, & non ea, qua decebat Romanorum Regem, constantia segereret: Et ideo eius Oratorem Paulus IV. noluit publicè admittere, quamuis clam illo humanissimè vsus fuerit. Ita tu casum refers, sed audiamus quid Ciaconius in vita Pauli a te citatus de eo deponat. *Hoc interim spatio Carolus V. Imperator abdicatum rerum humanarum Imperium in fratrem Ferdinandum transtulit, cuius legatum Martinū Gusmanum virum nobilem audire, publicè noluit, cum tamen priuatim excepit: ægrè ferens*

rens, quod Sede Apostolica inconsulta Carolus fratri Ferdinando Imperium cessisset.

33 Iam ex hac Ciaconij depositione apertè constat, non propter suspicionem periurij, vt tu falsò dicis. sed quia Carolus in Ferdinandum, se inconsulto, transtulerat Imperium, noluit Paulus Pontifex ipsius Oratorem publicè recipere: quia iuxta leges Pontificias non poterat Carolus dictam translationem, seu renunciationem facere, nec Ferdinandus eam acceptare, nisi de consensu, & approbatione Pontificis, quia Imperium non est hæreditarium, sed electiuum, & in multis dependens à Sede Apostolica, tanquam à Superiore. Vnde in quadam Cardinalium Congregatione, quam Paulus ad hoc negotium decidendum instituit, pluribus illorum videbatur abrogandam fore præfatam translationem, & Imperium ad Pontificem rediisse: hoc erudito scripto ostendit Cardinalis Franciscus Commendonus, Sicque non mirum, quod Pontifex non admitteret Oratorem Ferdinandi; Siquidem illum legitimum Imperatorem non agnoscebat, vt pote quia translatio Imperij à Carolo in eum facta non fuerat prius à se approbata, sed ipso inscio; quod tamen erat contra leges Imperij à S. Sede institutas; & in dicto Capite. Venerabilem de elect. à te citato expressè dicit Pontifex, quod *Principes Imperij in sua recognouere præsentia, quod ius, & authoritas examinandi personam electam in Regem, & promouendam postea ad Imperium, ad ipsum Pontificem spectare, qui eum inungit, consecrat, & coronat.* Dicas igitur mihi, quid ex hoc exemplo prout illud refert Ciaconus à te citatus, non vero iuxta tuam falsam narrationem, deducatur contra Lusitanum Regem? Sed demus, quod tua narratio sit vera, nec vt sic, aliquid euincere posses contradictum Regem, quia prius debebas probare, eum fuisse periurum, quod tamen probari non potest exemplis, præsertim falsis, sed rationibus ex iure deductis.

34 Tertium exemplis est Philippi Ducis Sueuiæ deductum ex cap. Venerabilem de elect. vbi Innocentius Pontifex narrat, quod viuente Imperatore Henrico, Philippus eius frater iurauit Friderico Henrici filio, quod post obitum dicti eius patris faceret illum eligi in Imperatorem. Quod iuramentum cum esset illicitum, existimans Philippus se non teneri ad illud seruandum, non Fridericum, sed se ipsum eligendum curauit, quem electores vltrò in Imperatorem elegerunt, & ipse misit suos Oratores ad Innocentium pro Imperij approbatione. Innocentius tamen nec Oratores admisit, nec Imperatoris electionem approbauit, propter notorium impedimentum periurij, ex eo, quod antea promiserat Friderico illum eligi facturum in Imperatorem: licet enim hoc iuramentum illicitum esset, tenebatur tamen illud obseruare.

In hunc modum tu factum narras: & ex eo deducis, quod similiter, immo
35 & maiori ratione Rex Ioannes propter periurium non solum non est audiendus, nec eius Orator à Sede Apostolica admittendus, sed etiam ab ipso Regno omninò depellendus. Iam tibi non semel, & iterum dixi, quod si probasses dictum Regem in acceptanda Regni sententia, & acclamatione commisisse periurium, aliquid saltem ex hoc, & similibus exemplis euinceres: attamen cum nullo modo tale probes, inutilitèr illud, sicut cætera, adduxisti. Vndè nihil tibi respondendum putabam: nihilominus tamen nè videar huic soli ex tuis exemplis negare responsum, ipsum patientèr audi.

36 Per legens igitur totum præfatum caput à re citatum, immo, & expositionem casus, atque ipsam Glossam, non inueni expressum, in quo Philippus periurium commisisset; sed tantummodò, quod Pontifex inter alia impedimenta illum periurum nominet; sic enim asserit. *Sunt notoria impedimenta Ducis, scilicet excommunicatio publica, periurium manifestum, & persecutio diuulgata, quam progenitores eius, & ipse præsumpserunt in Apostolicam Sedem, & alias Ecclesias exercere. Fuit quoque à Prædecessore nostro excommunicationis vinculo innodatus, quod postmodum recognouit, dum per Nuncium suum absolutionis beneficium postulauit.* Vnde mihi videbatur, quod licèt Pontifex inter impedimenta nominasset periurium, aliud debere esse ab eo, quod in tua narratione cótinetur: maximè quia Fridericus tépore obitus sui patris biennium vix expleuerat. Attamen postea casum, prout contigit apud Odoricum tom. 13. annalium anno 1198. num. 61. narratum reperi.

Sic igi-

Sic igitur inquit. *Extincto anno superiori Henrico Imperatore in Sicilia, magna animorum contentione à Germaniæ Principibus, diuisis in plures competitores Imperij, studijs decreando Cæsare certatum est. Henrici quidem filius Fridericus Siciliæ Rex, successor Imperij electus à Principibus erat, sed ea electio Henrici potentia, ac metu extorta fuerat, tunc ipse Henricus moriens Principes Sacramento fidei, quo se Friderico deuinxerant, soluerat.* Iam ex hoc Authore habemus, quod iuramentum factum Friderico non erat de faciendo illum eligi in Imperatorem, vt tu dicis, sed fidei illi seruandæ tanquam iam electo Imperij successori: similiter quod Henricus ante suum obitum Principes Imperij iuramento Friderico facto soluerat: vnde nec Philippus, nec alij Principes illo tenebantur. 37

Vnde non ex eo fundamento, sed ex alijs in dicto cap. Venerabilem, nominatis, licet etiam de periurio fiat mentio, Imperio exclusus fuit Philippus: non enim putauit Papa Innocentius, quod persona tot impedimentis obnoxia digna esset imperandi, vt expressè habetur in epist. 29. dicti Innocentij apud Odoricum anno 1200. num. 30. In qua contradictoriè agit de iuribus trium prætendentium Imperium, videlicet Friderici, Philippi, & Othonis. Et nihilominus, quanuis Pontifex Imperium Othoni tandem adiudicasset, prout priùs factum fuerat ab Episcopo Præuestino Apostolico Legato ob rationes, & fundamenta dictis cap. Venerabilem, & epist. 29. assignata, in quo processit tanquam legitimus, & priuatiuus iudex dictæ causæ: Oratorem tamen Philippi admisit, audiuit, litterasque recepit, atque ipsi ita respondit. *Verbum tuum audiuimus, videbimus litteras Domini tui, deliberabimus cum fratribus nostris, & dabimus tibi responsum.* 38

Erat itaque Philippus periurus, excommunicatus publicus, persecutor Ecclesiæ, immò & ipsius Pontificis, vsurpator bonorum Ecclesiasticorum, & tamen licet eius electio esset ipso iure inualida, & pro tali, tum à Legato Apostolico, tum etiam ab eodem Pontifice iudicata, illius Orator fuit admissus, exauditus, litteræ acceptatæ, & responsum obtinuit. Rex autem noster Ioannes, qui nec periurus, nec excommunicatus, quanuis tuo bono iudicio illum talem pronuncies, nec persecutor Ecclesiæ, aut vsurpator bonorum illius; immò fautor & defensor, declaratus verus successor Coronæ Lusitaniæ à legitimo Iudice, nempè ipso Regno, nec exauditus, nec eius litteræ à Pontificibus acceptatæ, nec Oratores, seu Legati admissi, immo sine responso aliquo remissi. Quid ergò ad hoc dicendum? nihil certè aliud, nisi, quod quando Deus voluerit, qui dat velle, & perficere, de remedio prouidebit. Vltimum tandem tuum exemplum est de Episcopo Laudicensi, qui metu victus iurauit Comiti Arnulpho, se nunquam ab eo repetiturum bona suæ Ecclesiæ, quæ præfatus Comes violenter abstulerat. In quo casu asseris esse priùs à iuramento, quanuis iniquissimo absoluendum Archiepiscopum, vt citra periurium posset à Comite inuasore prædicta bona repetere. In principio huius meæ responsionis tibi amicabiliter dixi, quod qui mentiendo inceperat, mentiendo etiam finire certum erat. Tu igitur mendacijs tuam incepisti epistolam, quid mirum si eā eisdem finias? Examinemus ergò quid Papa Gregorius in cap. Peruenit. de iure iuanr. à te citato decernat: Sic enim inquit. *Cognita igitur contumelia valdè doluimus afferentes ipsum Episcopum nullis iuramenti vinculis super hoc posse constringi.* Et licèt deinde addat; *Quem tamen absoluimus, quia ex nefandissima coactione iurauit.* Iam ex supradictis textus verbis euidenter constat; quod Pontifex non decreuit, vt tu falsò dicis, Episcopum necessariò esse absoluendum, vt sine periurij noxa à Comite dicta bona repetere posset. Ad quid ergò (dices) illum absoluit? Respondet Glossa: *licèt per illud iuramentum nullo modo fuit adstrictus, vel obligatus, tamen ad cautelam ipsum absoluit.* Ergo non necessariò, vt tu falsò dicis, Sed demus quod de iure Episcopus teneretur absolui, non proindè sequebatur Regem Ioannem teneri etiam absolutionem petere a iuramento, quia non ex eo tantum, quod iuramentum à se præstitum vi, & metu fuisset extortum, deobligabatur, sed principaliter propter rationes superius allatas, & sufficienter probatas. 39

Ad id, quod vltimo addis, de modo quo poterat, & debebat præfatus Rex se deobligare, & absolui à iuramento coram Legato Apostolico, & duobus notarijs, sunt figmenta, & commenta chimærica, quæ indigna responsione aliqua apud viros sa- 40

ros sa-

ros ſanæ mentis omninò iudicantur propter rerum ſtatum,& circumſtantias concurrentes.

41 Refutatis iam tuis potiùs delirijs, quam argumentis, & rationibus perorando dico, quod duo puncta in hac tua Apologetica, ſeu veriùs phanatica epiſtola intendis probare, vel potiùs prudentium Principi perſuadere. Vnum ſcilicet, quod ſupplicationes, vel præſentationes Regis Portugalliæ non debent admitti. Alterum, quod eius Orator à Sanctiſſimo D. N. Alexandro VII. non eſt recipiendus, vt Orator Regius, immò nec exaudiendus. Et quod ad primum attinet, ſatis, ſuperque tibi oſtendi præfatum Sanctiſſimum depotentia ſua ordinaria iuxta Sacros Canones, Concilia, & exempla Prædeceſſorum, atque ſenſa, & interpretationes omnium penè Doctorum præfatas præſentationes, ſeu ſupplicationes, eo modo admiſſurum eſſe, quo eius Prædeceſſores illas veterum Regum Luſitanorum de facto admiſerunt.

42 Nec obſtat illa diſtinctio, quam tu introducere niteris inter Eccleſias Indiarũ, & Regni. quia illæ ſunt, aut ſaltem æſtimantur de iure Regij patronatus, hæ autem non niſi aliquæ pauciſſimæ. Ratio eſt euidens, quia præfatæ præſentationes, ſeu ſupplicationes conſiderari debent, vel ex parte perſonæ præſentantis, ſeu ſupplicantis, & vt ſic iuxta tuam phanaticam doctrinam nullæ ſunt admittendæ, perſona enim vt tu falſo dicis, eſt incapax præſentandi, ſeu ſupplicandi, vt pote quia periurus, & excommunicatus. Vel ex parte Regni ſemper præſentantis ſeu ſupplicantis, & vt ſic validæ ſemper, ac proindè dignæ, vt admittantur: quia Regnum, vt ſuptamonſtraui, ſemper ſuam iuriſdictionem, & authoritatem conſeruauit, nec ſine cauſa vrgentiſſima, quæ in præſentiarum nulla eſt, vt conſtat ex tota hac reſponſione, poteſt illa priuari. Et quanuis in toto iuris rigore præfata tua diſtinctio amplecti poſſet, & ea ſuppoſita, Eccleſias Vltramarinas, & alias, quæ manifeſtè de iure Regij noſcuntur patronatus, ad præſentationem illius Regis prouideri decerneretur, non verò alias, quæ ad ſupplicationem tantummodò prouideri ſolebant, non tamen de iuris æquitate, & conuenientia, quia poſt ducentos annos, & ampliùs, qui tranſacti ſunt à tempore Alphonſi V. vſque ad præſens, in quibus tot Pontifices tam ſancti, & docti ſemper Eccleſias Luſitanas ad præſentationem, ſeu ſupplicationem illorum Regum indiſtinctè prouiderunt, non eſt credibile, quod S.D.N. Alexander Prædeceſſorum ſuorum veſtigia ſequi nolit, talemque nouitatem nouiſſimè introducere Quid enim ex ea ſperandum? quid non timendum? Certè equidem rem conſulis difficillimam, nè dicam periculoſam nimis, indignamque, vt à viro religioſo tam audacter conſulatur.

43 Alterum, ſcilicet, quod Orator Luſitanus non ſit recipiendus more Regio, non minus nouum, nec minus inauditum, minuſque contra vſum, & ſtylum S. Sedis, quæ ſemper Oratores eorum Principum, qui Regnum tenebant, ſolita eſt admittere, non attendens ad partium iura, ſed ad poſſeſſionem: non enim tali receptione illi, cuius Oratorem recipit ius aliquod tribuere intendit, ſi illud anteà non haberet. In præſentiarum verò efficaciori ratione, & fundamento, quia defuncto iam Rege Ioanne, Alphonſus eius filius, & ſucceſſor nullis exceptionibus, quibus eius Pater à te falsò, & impudenter redarguebatur, iniuri poteſt. Vnde de benignitate, iuſtitia, integritate, ac ſpiritu S.D.N. Alexandri VII. vniuerſus expectat Orbis, & maximè Romanus populus, vt Oratorem Luſitani Regis ſua ſolita clementia recipiat, illiſque Regi & Regno de Catholica Eccleſia adeò notoriè benemeritis ſe propitium præbeat. Pro qua quidem actione tam apud Deum, quam apud homines ſe laudabilem in æternum reddet.

OLYSSIPONE EX OFFICINA CRAESBEEKIANA

Anno 1656. Superiorum Permiſſu.

